BIBLIOTECA CENTRAL

habet a Principe, qui eſt viva lex, *authent. de Conſulibus, §. vult.* Ita docent Caſtrenſis, & Jaſon *d. l. a judice, C. de judiciis,* Bartolus *in l. legatum 6. ff. de offic. Proconſulis.* Quæ ratio licet per ſe non poſſit inducere facultatem ſubdelegandi in delegatis Principum; tamen cum hac ratione ſuggerente lex conceſſiſſet delegato Principis facultatem ſubdelegandi, *c. paſtoralis 28.* ibi: *Cum delegato a Principe juriſdictio dandi judicem ſit a lege conceſſa:* & *c. ult.* ibi: *Cum delegato a Principe id concedatur a jure:* & cum cui lex, aut Principis conſtitutio permiſit judicem dare, liceat mandare juriſdictionem, *d. l. cum Prætor 12. §. 1.* delegatus Principis, quia lex ſpecialiter ei conceſſit, ſubdelegare poteſt.

11 *Diſſolvitur ratio dubitandi.* Non obſtat dubitandi ratio ſupra adducta; nam licet delegati Principum, ut delegati inferiorum, alieno beneficio juriſdictionem obtineant; tamen delegato Principis lex permiſit, non autem delegato inferioris Magiſtratus. Nec primum augmentum refragatur; licet enim delegatus Principis poſſit ſubdelegare, hoc tamen procedit ubi vere mandatur juriſdictio; non tamen ſi nudum miniſterium committatur, *d. c. ult. §. ult. hoc tit.* nam cum nudum miniſterium committitur, licet delegatus aliquo modo dici poſſit, qui alium repræſentat; tamen vero delegatus non eſt, cum non habeat juriſdictionem: oportet enim, ut valeat delegatus Principis ſubdelegare, quod ſubdelegatio verbis, aut menti delegantis non refragetur; nam ſi tacite, vel expreſſe repugnet, non poterit delegatus etiam Principis aliis vices ſuas committere, veluti ſi ex natura cauſæ delegatæ, aut ex verbis, vel mente delegantis induſtria delegati præeligatur, *c. is cui 12. hoc tit. l. 6.* vel ſi cauſa delegetur cum clauſula, *conſcientiam tuam oneramus.* Barb. *de clauſulis, clauſ. 24. n. 8.* Fragoſo *tom. 1. Chriſt. reipubl. l. 1. diſp. 10. n. 24.* Nec huic ſolutioni obſtat text. *in c. fin. de officio ordin.* ubi in eadem ſpecie, cum nudum tantum miniſterium committitur Epiſcopo, abſolutionis videlicet, poteſt alteri ſubdelegare; nam cum aliquid committitur in perpetuum ratione dignitatis, qua quis fulget, conſtituitur ordinarius, non delegatus judex; unde cum *in d. c. fin.* commiſſum ſit Epiſcopis in perpetuum ratione dignitatis abſolvere in caſibus ibi præſcriptis, poteſt Epiſcopus, tamquam ordinarius alii vices ſuas committere. Quo modo prædictum textum cum capite finali, *hoc tit.* conciliari docent Barb. *de poteſt. Epiſcopi alleg. 35. n. 17.* Moneta *de commut. c. 5.* Amaya *in l. nullus 60. n. 15. C. de decurion. l. 10.*

12 *Ad ſubdelegandum an deſideretur cauſa.* Nec ſecundum augmentum rationis dubitandi obſtat, cujus ſolutio pendet ex illa ſatis vexata quæſtione, utrum videlicet delegatus Principis poſſit ſubdelegare abſque cauſa infirmitatis, videlicet abſentiæ, vel ſimilis? In qua quæſtione affirmativam partem tenuerunt Gloſſa in præſenti *verbo ſi pro debilitate,* Decius *n. 12.* Hoſtienſis *in c. paſtoralis, hoc tit.* Menochius *de arbitrariis, l. 2. cent. 1. caſu 60.* pro quibus faciunt nonnulla juris teſtimonia. Primo text. *in hoc c. 3.* in illis verbis: *Si pro debilitate, vel alia gravi cauſa.* Quæ verba ita conditionaliter prolata (particula enim *ſi*, importat conditionem, *l. quibus 40. §. quidam Titio, ff. de condit. & demonſtr. l. 1. §. ſi quis ſimpliciter, ff. de V. O.*) inducunt neceſſitatem: igitur abſque juſta cauſa ſubdelegatio non ſuſtinetur. Faciunt textus *in c. paſtoralis 28.* in illis verbis: *Exigente neceſſitate, c. venerabilis 37.* in illis: *Corporis infirmitate gravati.* Quæ verba cum per ablativum abſolutum concipiantur, inducunt conditionem, *l. Mævius, l. a teſtatore 109. ff. de condit. & demonſtr.* igitur niſi ex gravi infirmitate, aut neceſſitate non licebit Principis delegato ſubdelegare. Faciunt etiam pro prædicta ſententia duæ juris rationes. Prima, nam judices ordinarii, quibus competit facultas delegandi, ita demum poſſunt cauſas committere, ſi juſta cauſa impediti ſint judicare, *c. quoad ſedem 10. de officio ordin.* videlicet adverſa valetudine, aut nimia negotiorum occupatione, *c. inter 15. de officio ordin. l. 2. C. de pedaneis judicibus:* igitur ſimiliter delegati Principis, qui a lege habent ſubdelegandi facultatem, tunc ſubdelegare poterunt, cum juſta cauſa impediti fuerint judicare. Secunda ex eo provenit; nam hæc facultas ſubdelegandi conceſſa eſt delegatis Principis, tamquam exorbitans a regulis juris communis, *d. l. more, d. l. & quia:* igitur illo tantum caſu debet admitti, cum adeſt juſta cauſa, vel infirmitatis, vel neceſſitatis.

13 *Negativa ſententia defenditur.* Contrariam ſententiam, videlicet juſtam cauſam non eſſe neceſſariam ad ſubdelegandum, docuerunt Gloſſa *in c. paſtoralis, in principio, de officio Ordin.* Jaſon *in l. a judice, C. a judiciis, nu. 11.* Baſilius *de matr. l. 5. c. 27.* Cujacius *in præſenti,* & Sahagun *num. 15.* quorum ſententia probatur *in c. 27. in princ. c. quoniam, hoc tit. c. cum cauſa 63. de appell.* ubi indiſtincte docetur, judices delegatos poſſe ſubdelegare: igitur ſive juſta cauſa, ſive non, ſubdelegare poſſunt delegati Principis. Deinde quia judex delegatus judici ordinario æquiparatur, ut ſupra probavi; ſed judex ordinarius abſque ulla cauſa poteſt mandare juriſdictionem, *d. l. more,* Covar. *l. 3. variar. c. 2. n. 3.* igitur & delegatus Principis. Hac ſententia retenta, non obſtant contrariæ fundamenta. Non primum deductum ex hoc textu, cui ut ſatiſfaciant Decius *n. 10.* Panorm. *n. 8.* varia adducunt. Quibus omiſſis dicendum eſt pro hujus textus interpretatione, & text. *in d. c. paſtoralis 28. c. venerabili 37. c. quoad ſedem 10.* in illis juris locis juſtam debilitatis cauſam, vel ſimilem non deſiderari ad validitatem ſubdelegationis, ſed ad honeſtatem, & ipſius juſtitiam; non tamen, quia ſi prætermittatur, ſubdelegatio nulla ſit, argumento text. *in l. ad teſtium, §. ſi quis teſtibus, ff. de teſtam.* Ut autem honeſta ſit talis ſubdelegatio, debet adeſſe juſta cauſa, quia injuſtum, ac inhoneſtum eſt, cum quis poſſit munus ſibi injunctum exequi, alii committere exequendum, argumento textus *in c. prudentiam 21. §. adjicimus, hoc tit.* Docet Baſilius *in d. c. 27. n. 5.*

14 *Diſſolvuntur aliæ difficultates.* Nec obſtat aliud augmentum rationis dubitandi, petitum ex exemplo Judicum Conſervatorum, qui etſi delegati Pontificis ſint, non poſſunt ſubdelegare; quia id ſpecialiter procedit ex ea ratione, ut poteſtas eorum reſtringatur, & quanto minus fieri poſſit, juriſdictio ordinaria lædatur: quare conſervatores delegare non poſſunt, niſi duobus in caſibus: primo ſi in litteris ſuæ deputationis id expreſſe concedatur; ſecundo ſi tantum conſervatores committant citationem, aut examen teſtium, *c. ult. §. vices, hoc tit. in 6.* Quæ ſubdelegatio ita demum vires habebit, ſi fiat intra fines diœceſis ſuæ, & etiam committatur perſonis illis, quæ alias in Conſervatores eligi poterant, *d. §. vices,* ubi docet Barb. *n. 6.* late Moneta *de conſerv. c. 7.* Nec tandem ultimum augmentum adverſatur; nam licet Gloſſa *in d. l. quia, verſ. Vel dic,* & *in d. l. a judice, verſ. Non debet,* Decius *in d. l. more, n. 34.* Cujacius *l. 1. qq. Papin. in l. 5. ff. de offic. Proconſulis,* Azevedus *in rubrica, tit. 9. l. 3. recopil. n. 19.* exiſtimaverint judicem delegatum etiam inferioris Magiſtratus poſſe ſubdelegare, exemplo procuratoris & tutoris, qui aliis vices ſuas committere poſſunt, *l. quod 8. l. neque 11. ff. de procur. l. ſi procurator 8. ff. mandati, l. ita autem 5. §. 1. ff. de adminiſtr. tut.* Tamen eorum ſententia defendi non poteſt; non enim idem jus verſatur in procuratore, aut tutore, ac in judice delegato, ut probant Morla *in emporio, tit. 2. de juriſd. q. 15. n. 8.* Baſil. *d. c. 26. n. 8.* procurator enim per litis conteſtationem efficitur dominus litis, *l. ante litem 11. ff. de procur.* non vero ſic judex delegatus efficitur dominus juriſdictionis; unde tamquam non dominus, ſubdelegare non poteſt. Hodie tamen jure noſtro Regio contrarium obſervatur *ex l. 19. tit. 4. p. 3.* ubi notavit Greg. Lopez.

15 *Exponitur authentica ad hæc C. de judiciis.* Primo ſuperiori aſſertioni adverſatur text. *in authent. ad hæc, C. de judiciis,* ubi deciditur, judices delegatos Principis, tantum litis conteſtationem Conſiliariis committere poſſe, ita ut valeant, reſervata ſibi ſententia, ceteras litis partes delegare. Igitur delegati Principis non poſſunt cauſæ ſibi commiſſæ cognitionem aliis demandare. Pro cujus textus expoſitione plura tradiderunt Gloſſa ibi, *verbo Delegatus.* Quintanadvennas *de juriſd. c. fin. n. 19.* Vaconius *l. 9. declarationum, cap. 83.* Donellus *l. 17. comment. c. 22.* ubi Oſval. *littera N,* Barboſa *in d. l. cum Prætor, n. 341.* Sed illis omiſſis dicendum eſt, Imperatorem *in d. authent. ad hæc, in princ.* agere de adminiſtratoribus, & eorum aſſeſſoribus, qui judicare debebant juxta præſcriptam formam in novella *Ut defuncti funera, §. illud, collatione 6.* Unde ipſi adminiſtratores cauſas abſolute tractandas aſſeſſoribus committere nequibant: alia vero pars ipſius authenticæ, *ex verſ. delegatus,* quæ loquitur de delegato Principis, procedit inſpecto jure civili majori, quo attento non poteſt delegatus Principis reſervata ſibi ſententia cauſam committere examinandam, quod jure Pontificio receptum non eſt, imo principium, medium, aut finis poteſt delegari, *c. ſuper, hoc tit.* & in hac parte apertum diſſidium datur inter jus canonicum, & civile, quod jam agnoverunt Gloſſa *verbo Principum, in d. c. ſuper,* Maranta *de ordine judic. 4. p. d. 5. n. 42.* Gilkenius, & Cujacius *in d. authent. ad hæc,* Sahagun *in præſenti.*

16 *Exponitur l. legatus, de officio Proconſulis.* Secundo opponitur text. *in l. legatus 12. ff. de officio Proconſulis,* ex quo juxta litteram affirmativam, quam ut veriorem amplectuntur Ant. Aug. *l. 1. emend. c. 3.* Covar. *l. 3. variar. c. 20 n. 10.* Corraſius, *ibi,* deducitur; Legatum Proconſulis dare judices poſſe: ſed illi delegatam, atque mandatam obtinent juriſdictionem, *l. obſervare 4. §. ult. l. ſolet 6. §. ſicut, l. legati 13. ff. de officio Proconſulis:* igitur delegati etiam inferiorum Magiſtratuum poſſunt cauſas ſibi commiſſas ſubdelegare. Cui difficultati communiter reſpondetur, textum illum ſpecialiter procedere in Proconſule, cui lex ſpecialiter permiſit judices dare, *d. l. cum Prætor, 12. §. 1.* Ita tenent Corraſius & Zaſius *in d. l. legatus 11.* Germonius *l. 1. animadv. cap. 8.* Sed licet hæc doctrina vera ſit quoad facultatem dandi judices a Legatis Proconſulis; quoad facultatem tamen delegandi, ſeu mandandi juriſdictionem non fuit neceſſaria lex ſpecialis: quare rectius Fulgoſius *in d. l. Legatus,* Alciatus *in rubrica de officio Ordin. in 6.* & *l. 2. paradox. c. 5.* affirmant, nihil ſpeciale ſtatutum reperiri in Legato Proconſulis quoad hanc partem; quia ipſe jure communi poteſt mandare juriſdictionem. Ratio eſt, quia legatus Proconſulis non eſt delegatus, ſed ordinarius judex; & poſtquam Proconſul mandavit illi juriſdictionem, ad inſtar Vicarii Epiſcopi juriſdictionem obtinet ordinariam. Docent *n. 11.* Cujacius *l. 7. obſerv. c. 21.* Goveanus *in d. l. ſolent,* Covar. *l. 3. var. c. ult.* Albericus *in l. 1. de juriſd.* & *l. 1. var. c. 6.* Quæ ſententia probatur *ex l. legati 13. ff. de officio Proconſulis, l. cognitio 4. verſ. Cum propriam, de officio ejus, c. 2. de officio Legati, l. 6.* Faciunt etiam rubricæ, tam *in ff.* quam *in C.* de officio Proconſulis, & Legati, de apparitoribus Proconſulis & Legati, *l. 12.* Unde plura illis Legatis conceduntur, quæ delegatis non competunt: ipſi enim tutores dare poſſunt, *l. 1. ff. de tutor. & curat.* cum talis poteſtas mandata juriſdictione non tranſeat, *l. nec mandante 8. ff. de tutor. & curat.* apud ipſos ſervi manumittuntur, *l. apud 17. §. 1. ff. de manumiſſ. vind.* cum auctoritas præſtanda in manumiſſione mandata juriſdictione contranſeat, *l. 2. ff. de officio ejus:* multam dicere poſſunt, *l. 2. verſ. etſi, ff. quis & a quo,* quam dicere non poſſunt qui juriſdictionem propriam non habent, *l. 1. §. 1. ff. eod. tit.* notarunt Cujacius *l. 1. obſerv. c. 1.* & *l. 15. c. 19.* Robertus *l. 1. rerum judic. c. 21.* Hothomanus *l. 13. obſerv. c. 1.* Unde licet Legati Proconſulis, quia a Proconſule deſignantur, alienam videantur exercere juriſdictionem, juxta Julii Cæſaris ſententiam *l. 2. comment.* ubi ait, non ſe ignorare quod eſt officium Legati, qui fiduciariam operam obtinet; tamen potius quaſi ordinarii ſunt, & tertium genus conſtituunt inter ordinarios, & delegatos, quare poſſunt cauſas ſubdelegare: docent Fachineus *l. 1. controv. c. 45.* Gentilis *l. 1. de juriſdictione, c. 10. per totum.*

17 *Exponitur c. cum Bertholdus 18. de re jud.* Tertio ſupra traditæ aſſertioni opponitur textus *in c. cum Bertoldus 18. de re judic.* in illis verbis: *Committentibus alii vices ſuas ipſi ſubdelegati teſtes ſuper prædicto articulo acceperunt.* Ex quibus aperte conſtat, alios quam delegatos Principis, poſſe ſubdelegare cauſas ſibi commiſſas. Cui difficultati ut ſatiſfaciant Gloſ. *ibi, verbo committentibus,* Hoſtienſis *in ſumma hujus tituli, n. 2. §. 1.* Avendanno *de exequend. mand. c. 1. n. 16.* exiſtimant, in eo textu delegatum potuiſſe ſubdelegare, quia jam lis conteſtata erat: & ſic exemplo procuratoris potuiſſe cauſam ſubdelegare. Sed hæc reſolutio facile ex ſupra traditis refellitur: aliter Baldus & Angelius *ibi,* Vantius *de nullit. tit. ex defectu juriſd. n. 24.* ſatiſfaciunt aſſerendo, textum *in d. c. cum Bertoldus,* procedere in delegato Legati a Latere, qui ad inſtar delegati Pontificis poteſt ſubdelegare. Sed hæc ſolutio refellitur a Felino *ibi, n. 16.* quia non ſatis liquet, delegatum Legati a latere ſubdelegandi poteſtatem habere; & ſi hoc admitteretur, non conſtat *in c. cum Bertoldus,* agi de delegato Legati a Latere: quare Felinus *ibi, n. 6.* & alii relati a Covar. *d. c. 20. circa finem,* quos ſequuntur Germonius *lib. 1. animad. c. 8.* Everardus Bronchorſt. *cent. 2. aſſert. 44.* ſolutionem hujus difficultatis aliunde petunt; ſupponunt enim, quod licet delegatus inferioris Magiſtratus non poſſit cauſam ſibi commiſſam ſubdelegare, poteſt tamen aliquam ejus partem committere, *Clem. 1. hoc tit.* docet Bartolus *in d. l. more, n. 11.* licet contrarium defendant Fachineus *l. 1. controv. c. 16.* alii relati a Barboſa *in d. l. cum Prætor, n. 111.* quare cum *in d. c. cum Bertholdus,* unus articulus, videlicet teſtium examen, committeretur, ſubdelegatio vires habuit: ſed licet verum ſit, delegatum inferioris a Principe poſſe delegare illum cognitionis articulum, qui tantum nudum factum contineat, non autem qui juriſdictionis uſum exigat, juxta textum ita accipiendum *in c. ſuper 27. verſ. Nos, hoc tit.* docent Barboſa ſupra, *nu. 121.* Sanchez *l. 2. de matr. diſp. 32. n. 10.* tamen *in d. cum Bertholdus,* non unus articulus, ſed integra cauſa commiſſa fuit, ut ex textu conſtat, & probat Covar. *d. c. 20. n. fin.* Quare his, & aliis ſolutionibus omiſſis, verior eſt interpretatio eorum, qui affirmant, ſubdelegationem in eo textu non valuiſſe: ſed quia cauſa jam delata erat ad Sedem Apoſtolicam, ubi de meritis cauſæ principalis, non vero de validitate, aut nullitate ſubdelegationis agebatur, tantum ſuper principali negotio deciſio emanavit, & in prædictis verbis tantum refertur caſus contingentia; non autem ſubdelegatio probatur. Ita docent Cov. *ubi ſup.* Morla *d. tit. 2. q. 15.* Sahagun *in præſenti, nu. 17.* Balboa *in d. c. 2. num. 22.*

18 *Explicatur c. ut commiſſi 12. de hæret. l. 6.* Quarto ſupra traditis obſtat textus *in c. ut commiſſi 12. de hæret. l. 6.* ubi ſpeciali privilegio conceditur a Bonifacio VIII. Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, ut poſſint ſubdelegare citationes ad ſententias proferendas; quod etiam expreſſe conceditur ab Alexandro IV. in quadam conſtitutione relata a Penna *in notis ad Directorium Inquiſit. 3. p. q. 3.* ex quibus ita adverſus ſupra dicta inſurgitur. Inquiſitores ſunt judices delegati R. Pontificis, *c. ne aliquid, c. per hoc, de hæreticis, l. 6.* Sed eis tantum permittitur ſubdelegare citationem: igitur, quia integra cauſæ cognitio a delegato Principis non poteſt ſubdelegari. Augetur hæc difficultas ex Clementina 1. ibi: *Subſtitutis,* Clementina 2. *de hæret.* ubi innuitur, poſſe Inquiſitores totam cauſæ cognitionem committere. Pro hujus difficultatis ſolutione ſciendum eſt Inquiſitores hæreticæ pravitatis ad cognitionem cauſarum fidei deſignatos juriſdictionem ordinariam in ſuis territoriis habere, licet vices gerant R. Pontificis, a quo eliguntur, vel ex ejus commiſſione a ſupremo Inquiſitore, ut docent Molina *de juſtitia, t. 6. diſp. 28. n. 1.* Ludovicus Paramus *de origine Inquiſit. l. 3 q. 2.* Etſi diſputent Parexa *de inſtrum. edit. 1. p. tit. 2. reſol. 5. n. 12.* Salgado *de ſupplicat. 2. p. c. 33. n. 80.* Torreblanca *de jure ſpirit. l. 15. c. 3.* & *de magia l. 3. c. 5.* Narbona *in l. 10. tit. 1. l. 4. recopil. gloſſa 22.* Diana *4 p. tract. 8. reſol. 1.* Eſcobar *de purit. ſang. 1. p. qu. 6. §. 2. n. 25.* Thomas Delbene *tom. 2. de officio Inquiſit.* Fermoſius *in juris allegat. pro hac juriſdictione.* Licet olim cum hæc tribunalia erecta non erant, ſed ad unam, vel aliam cauſam in diverſis Provinciis Inquiſitores mittebantur ut judices delegati, cumulative cum Epiſcopis contra hæreticos procederent: ad quæ tempora referendi ſunt textus *in c. ne aliquis 10. c. ut officium, c. ut commiſſi, c. per hoc 17. de hæret. l. 6.* licet talis juriſdictio fidei favore morte Pontificis non finiretur, *d. c. ne aliquis.* Docent Simanchas *de Catholicis, tit. 44. n 13.* Illuſtriſs. Manrique *tom. 1. annal. Ciſterc. an. 204. c. 3. n. 8.* Salgado *de ſupplicat. 2. p. c. 33. num. 8.* Eſcobar *de Pontificia juriſd. 1. p. c. 6. §. 2. n. 25.* Parexa *de inſtrum. edit. tit. 2. reſol. 5.* Etiam ſciendum eſt, temporibus Alexandri IV. & Bonifacii VII. propter hæreticorum malitiam, & qualitates hæreſum, ſatis arduum ac difficile fuiſſe hujuſmodi Inquiſitorum officium; unde eorum induſtria adeo præeligebatur, ut tantum per ſe, non vero per ſubdelegatos procedere poſſent, neque cauſæ cognitionem delegare valerent, excepta citatione partium, aut ſententiarum denuntiatione, tamquam exigui præjudicii. Et licet in dicta Decretali Alexandri IV. concederetur facultas ſubdelegandi examen teſtium, tamen Bonifacius VIII. *in d. c. ut commiſſi,* hanc omiſit, utpote articulum non parvi momenti: ſed cum poſtea Inquiſitorum officium diutius viguiſſet; & variæ Pontificum, & Conciliorum conſtitutiones ad exercitium hujus juriſdictionis emanaſſent, non ita ardua hæc cauſarum cognitio judicari cœpit: quare permiſſum fuit Inquiſitoribus integram cauſæ cognitionem ſubdelegare, tamquam judicibus ordinariis, vel ut alii volunt, delegatis Pontificis. Narbona *in l. 20. tit. 1. l. 4. recopil. gloſſa 22. n. 79.* Diana *p. 4. tr. 8. reſol. 1.* & *18.* Carena *de officio Inquiſ. p. 1. tit. 5. §. 11.*

19 *Intelligitur l. 1. §. 1. ff. quis & quo.* Tandem opponitur textus *in l. 1. §. 1. ff. quis, & a quo appellatur,* in illis verbis: *Ab eo, cui quis mandavit juriſdictionem, non ipſe provocatur; nam generaliter is erit provocandus ab eo, cui mandata eſt juriſdictio, cui provocatur ab eo, qui mandavit juriſdictionem.* Ex quibus, junctis Accurſio, & Gothofredo *ibi,* deducitur, a judice ſubdelegato, cui delegatus mandavit juriſdictionem: non ipſum delegatum, ſed ſuperiorem eſſe adeundum: igitur quia delegatus poteſt ſubdelegare, etiamſi ſit inferioris Magiſtratus. Difficilis etiam eſt textus ille, dum docet, & a ſubdelegato appellandum non eſſe ad delegatum, ſed ad ejus ſuperiorem; cum certum ſit, a ſubdelegato Principis appellandum eſſe ad ipſum delegatum, non vero ad ſuperiorem, *c. delegatus 7. hoc tit. in 6.* igitur non recte ibi docetur, ad delegatum non eſſe appellandum. Huic difficultati ut ſatiſfaciant Gloſſa *verbo Delegatus, in c. cum cauſa 62. de appellat.* Accurſius *verbo Non debet, in l. a judice, C. de judiciis,* affirmant quod licet delegatus inferioris non poſſit ſubdelegare; hoc tamen limitatur in delegato ad univerſitatem cauſarum: illum enim poſſe unam, vel aliam cauſam ſubdelegare, ſupponunt. Sed contrariam ſententiam, videlicet nec delegatum ad univerſitatem cauſarum ſubdelegare poſſe, docuerunt *in d. l. more, gloſſa 2.* Bartolus *n. 1.* Baſilius *d. c. 26. n. 9.* Quintanadvennas *de juriſd. l. 2. n. 3.* & recte, nam ratio quæ impedit ſubdelegare delegatum particularem, videlicet juriſdictionis defectus, æque militat in delegato ad univerſitatem cauſarum; licet hodie uſu, & praxi contraria ſententia recepta ſit, ut teſtatur Quintanadvennas *d. l. 2. n. 2.* Reſpondendum eſt ergo primæ difficultati aſſerendo, textum *in d. §. 1.* procedere in judice ordinario, qui mandavit juriſdictionem, vel in delegato Principis, qui poteſt ſubdelegare; ſupponendi enim ſunt in eo textu termini habiles, in quibus videlicet juriſdictio poſſit demandari.

Pro ſecundæ difficultatis ſolutione examinandum eſt, utrum videlicet cum delegatus Principis cauſam committit, & ſubdelegatus ſententiam profert, ab eo appellandum ſit ad delegatum, an vero ad ſuperiorem. Et ad ipſum delegatum eſſe provocandum ſuadetur *ex d. c. ſi delegatus 7.* & docuerunt P. Greg. *l. 5. p. tit. 5. c. 8 n. 2.* Mol. *de juſtit. tr 5. diſp. 21. n. 5.* Barb. *in d. l. cum Prat. 12. n. 217.* Scacc. *de appell. q. 7. n. 63.* Contrarium tamen, imo primum delegatum eſſe adeundum, probatur *ex d. l. 1 §. 1. ff. quis, & a quo, l. 1. § ſi quis, l. Imperat. 21. ff. de appell. l. præcipimus, 32. C. eod. tit. t. un. in fin. C. qui pro ſua juriſd. l. fin. in fin. C. de jud.* tenent plures congeſti a Fachineo *l. 1. controv. c. 78* Oſval. *ad Donell. l. 28. comm. c. 7. litt. B.* Pro hujus diſſidii conciliatione duo caſus diſtinguendi ſunt. Primus eſt, cum cauſa commiſſa fuit ſimpliciter, & abſolute, nulla facta reſervatione ab ipſo delegato; tunc enim certum eſt, non ad delegatum, ſed ad delegantem eſſe appellandum, cum delegatus omnem juriſdictionis uſum a ſe abdicaſſet, & in ſubdelegatum tranſtuliſſet, *c. ſuper 27. §. 1. hoc tit.* ubi Caniſius. Secundus caſus evenit, cum delegatus Principis committendo cauſam ſibi aliquod jus reſervavit, veluti exequendi facultatem, cujus ratione iterum cauſæ cognitionem repetere poſſit; tunc enim ipſe eſt adeundus, qui aliquem uſum juriſdictionis retinuit; quo caſu procedit text. *in d. c. ſi delegat.* ubi notavit Barboſa. Sunt etiam aliqui caſus, in quibus etiam reſervatione facta non appellatur ad delegatum, ut ſi cauſa tribus commiſſa ſit, & unus ſubdelegaverit, ſubdelegatuſque cum duobus aliis ſententiam dixerit; tunc enim ad delegatum non appellatur, *c. ſi duo 10. hoc tit. in 6.* nam ſi a conjudice ad conjudicem appellaretur, ad parem provocaretur, contra principium text. *in l. 1. §. ſi quis in appell ff. de appell.* quod facilius procedit, cum unus ex delegatis cauſam committit conſocio, & conjudici ſuo, *d. c. ſuper, §. ſi vero.* Alius caſus eſt, cum delegatus impeditus eſt; ne enim cauſarum exitus protrahatur, ad Pontificem appellatur, *c. ſi a ſubdel. 24. hoc tit. in 6.* Ultimus caſus eſt, cum apud judicem delegatum juriſdictio in dubium vertitur, tunc enim ad delegatum non appellatur, quia licet regulariter ad ipſum judicem ſpectet cognitio, utrum juriſdictio ſua ſit, necne, *l. ſi quis ex aliquo ff. de jud.* hoc tamen in præſenti non procedit, ne interpoſita appellatione appellans videatur conſentire in judicem, quem rejicere intendit, Barb. *in d. c. ſi deleg. n. 2.* latius dicemus infra, *in c. 27.*

C A P U T IV.

Idem *Vuillelmo* a *Car. electo.*

DE cauſis, quæ in certum terminum dicendæ committuntur, hoc tuam volumus conditionem tenere, quod niſi dies ab Apoſtolico præfixus, de communi conſenſu partium prorogetur, eo tranſacto mandatum exſpirat.

NOTÆ.

a CAr.) In prima collectione, *ſub hoc tit. cap.* 5. & poſt Conc. Later. *p.* 7. *c.* 6. legitur: *Idem Vvillelmo Can. electo*: & Ant. Aug. *in notis ad hunc text.* exiſtimat legendum eſſe, *Cantuarienſi*. Sed perperam, quia temporibus Alexandri III. tantum S. Thomas, & Richardus floruerunt in Eccleſia Cantuar. quare legendum exiſtimo, *Carnotenſi*; quia poſt Joannem Sariſbarienſem, & Petrum electus fuit Vvillelmus temporibus Alexandri III. unde reſtituenda eſt ita inſcriptio: *Idem Vvillelmo Car. electo*.

COMMENTARIUM.

1 Concluſio deducitur & probatur.

EX hoc textu communiter ab Interpretibus ſequens deducitur aſſertio: *Si cauſa committitur intra certum tempus terminanda, eo elapſo finitur delegata juriſdictio, niſi partes terminum prorogaverint*. Probant eam text. *in c. ex litter. c. conſuluit* 24. *c. conſultationib.* juncta integra, *hoc tit. c. ſuper eo* 12. *§. fin. de appell. c. venerabilis* 6. *de jud. l.* 2. *§. ſi & judex, ff. eod. tit.* Illuſtrant plures congeſti a Barboſa *in præſenti*, quibus addendi ſunt Oſval. *ad Donellum l.* 17. *comment. c.* 10. *litt. P.* Vultejus *in l.* 1. *Cod. de offic. ejus*, *n.* 81. P. Greg. *l.* 5. *partit. tit.* 5. *c. fin. tit.* 14. *c.* 7. *& l.* 47. *ſyntag. c.* 22. Gentilis *de juriſd. l.* 2. *c.* 29. Arnold. Vin. *eod. tract. c.* 6. *& l.* 1. *ſelect. q.* 4. Baſil. *l.* 5. *de matr. c.* 2. Boſquet. *ad Innoc. III. l.* 3. *ep.* 123. Cujac. *l.* 1. *qq. Papin. in l.* 3. *ff. de receptis*, Fermoſinus *in c. venerabili, qu.* 6. *de judic.* Sahagun *in præſenti*, Morla *in emporio, tit. de juriſd. q.* 21. Quintanadvennas *de juriſdictionis prorogatione*, *n.* 1.

2 Impugnatur hæc aſſertio.

Sed in hanc Alexandri deciſionem pro ratione dubitandi ita inſurgi poteſt. Juriſdictio delegata per litis conteſtationem perpetuatur, *cap. gratum, c. relatum, hoc tit.* igitur etiam elapſo termino in delegatione aſſignato non expirat juriſdictio delegata, quæ jam per conteſtationem perpetua erat. Augetur hæc difficultas primo ex eo, nam Judex delegatus major eſt quocumque judice ordinario, *c. ſane* 11. *hoc tit.* ſed jure noſtro Pontificio inſpecto, etſi tempus judici ordinario ad finem inſtantiæ aſſignatum exceſſerit, adhuc juriſdictio non finitur, imo cognoſcere valet: igitur idem dicendum eſt in judice delegato. Probatur antecedens, nam judici ordinario aſſignatum eſt triennium ad finem inſtantiæ, *l. properandum, C. de judic. l.* 3. *C. ut intra certum tempus*. Docent Forner. *l.* 3. *quotid. c.* 1. Revard. *l.* 4. *var. c.* 14. Didac. Perez *in l.* 3. *tit.* 1. *ord.* Hodie vero biennium, Trid. *ſeſſ.* 24. *de refor. c.* 20. & cauſa criminalis olim finienda erat intra annum, *l.* 2. *C. Theod. ad l. Corn. de falſis*: poſt Juſtinianum vero intra biennium, *l.* 1. *C. ut intra certum tempus*. Sed etiam elapſo triennio non expirat juriſdictio, *c. penul. de judic. c. fin. de prob. c. cum olim, de priv.* Docent plures laudati a Perez *ubi ſup.* Narbona *in l.* 59. *gloſſa* 1. *tit.* 4. *l.* 2. *recop.* Paz *in praxi, tit. de inſtantia*, *n.* 11. Ergo. Augetur ſecundo, nam ſi elapſo tempore expiraret juriſdictio, ſequeretur non poſſe partes poſtea juriſdictionem prorogare, cum privatorum conventio non habenti juriſdictionem tribuere non poſſit, *l.* 1. *l. privat. C. de juriſd.* cum etſi prorogetur tempore habili, effectus confertur in tempus inhabile: ſed poteſt prorogari juriſdictio a partibus ultra tempus in delegatione præſcriptum, *c. P. & G. hoc tit.* igitur quia non finitur juriſdictio in commiſſione aſſignata. Secundo adverſus eam partem, ubi docetur prorogatione partium extendi juriſdictionem, ſic argumentor. Quæ proveniunt a natura actus, per partes mutari non poſſunt, *l. cum prec.* 12 *ff. de precar.* Pichard. *in §.* 1. *Inſtit. de donat. nu.* 8. ſed natura juriſdictionis delegatæ eſt ſtricta, *c. ad aures*, 8. *c. ad hæc* 10. *c. ſedes* 15. *c. cum dilecto* 22. *de reſcript.* igitur prorogari per partes non poteſt. Accedit, nam ſi poſſet prorogari juriſdictio per partes quoad tempus, poſſet prorogari quoad perſonas, cum valeat argumentum de tempore ad perſonas, *l. plur.* 38. *ff. de vulgari*, *l. nonnunquam*, 72. *ff. de jud.* ſed reſpectu perſonarum non datur prorogatio juriſdictionis, *d. c. P. & G. hoc tit.* igitur nec ratione temporis poterit juriſdictio prorogari.

3 De delegatione ad certum tempus.

Quibus difficultatibus minime obſtantibus vera eſt prædicta aſſertio, ad cujus rectam interpretationem primo obſervandum eſt, juriſdictionem delegatam aliquando committi erga certas perſonas, *d. c. P. & G. hoc tit.* aliquando ad certas cauſas, *c. ex conqueſtione, de reſt. ſpol.* nonnunquam ad certum locum, *c. tua nobis, de off. Vicarii*; ſæpe ſæpius ad certum tempus; ut præſenti textu, & aliis ſupra relatis: & cum omnia comprehenſa in reſcripto delegationis ſint diligenter obſervanda, *d. c. cum dilecta*; ideo nec ad perſonas in reſcripto non expreſſas, nec ad alias cauſas, nec extra locum deſignatum, nec ultra tempus præſcriptum juriſdictio delegata extenditur, *c. Rodulph. c. ſignificavit, de reſcript. c. P. & G. hoc tit.* Quod præcipue procedit, & obſervandum eſt in temporis præfinitione; illud enim in delegatione præſcribitur, ut finis litibus imponatur, & partes labore, ſumptibus, & expenſis non vexentur, quæ utriuſque juris conditorum omni tempore cura fuit, *l. properandum*: 11. *C. de judic. l. ſi quis jusjurand. C. de reb. creditis princ. Inſt. de pœna temere litig. c. finem litib. de dolo, & contum.* Unde Sveton. in Veſpaſ. *c.* 10. refert ipſum curaſſe, ut centum viralia judicia, quibus peragendis vix litigatorum vita ſuffectura videbatur, ad breviſſimum terminum redigerentur, & Juſtinianus poſt alias conſtitutiones tandem ſtatuit, ut in cauſis criminalibus, quæ ante ipſius tempora anno concludebantur, *l. reus* 7. *ff. de muner. & hon. l. cum in prætor. C. Theod. ad l. Corn. de falſis* (quod *ſtatutum tempus* dixit Tribonianus *in l.* 1. *C. ut intra certum tempus*, cum antea ſcriptum eſſet, *anni tempus*, ut Codex Theodoſianus oſtendit) biennio finirentur; civiles autem triennio, *d. l. properandum, C. de judic. l.* 3. *C. ut intra certum tempus*, cujus conſtitutionis meminit Innoc. III. *l.* 1. *regeſtr.* 13. *ep.* 1. in illis verbis: *Cum enim ſecundum juris civilis auctoritatem in illis etiam caſibus, in quibus ſolemnis ordo judiciarius obſervatur, in criminali cauſa ultra biennium a conteſtatione litis non ſit ejus inſtantia protrahenda*. Et licet Revardus *l.* 4. *variant. c.* 14. exiſtimet jam hoc tempus ante Juſtinianum fuiſſe præfinitum, motus auctoritate Sidonii *l.* 8. *ep.* 6. ibi: *Per ipſum fere tempus, ut decemviraliter loquar, lex de præſcriptione triennii fuerat proquiritata*; tamen fallitur. Nam in caſtigatis codicibus ipſius Sidonii legitur, *tricennii*; & Sidonius agit de præſcriptione tricennali, non vero de hac conſtitutione triennii ad finem inſtantiæ, ut jam notarunt Savar. *ad ipſum*; Forner. *l.* 3. *rerum quotid. c.* 1. Et ſi ſciſciteris, quare in criminalibus cauſis brevius tempus ſtatutum fuiſſet, quam in civilibus, cum contrarium videbatur obſervandum; ſiquidem quanto graviores ſunt cauſæ criminales, tanto longior, & maturior debet eſſe earum diſcuſſio, argumento *legis* 1. *§. ſed ſi quis, ff. de Carbon. edicto, c. ubi periculum*, 3. *de elect. in* 6. & ut Poeta ajebat: *Nulla unquam de morte hominis ſera cunctatio eſt*. Reſp. omiſſo Cujacio *l.* 27. *obſer. c.* 23. qui aſſerit difficiliores, obſcurioreſque eſſe cauſas civiles, & ideo longius tempus ad eas agendas aſſignari; quod cum durior ſit conditio eorum, qui in reatu, & carceribus detinentur, ne per longum tempus cauſa protracta diutius vexarentur, & ſitu carceris, & ſqualore conficerentur, ut ajunt Imperatores, *in l. Rect. Cod. de pæn.* ideo brevius tempus ſtatutum fuit in cauſis criminalibus decidendis, ut ſic reos puniendos velox pœna ſubduceret, aut liberandos diuturna cuſtodia non maceraret, *l.* 1. *&* 5. *C. de cuſtod. reor.* Quod autem tempus pro qualibet inſtantia ſtatutum ſit, inferius dicemus *n. ult.*

Secundo præmittendum eſt, juriſdictionem, tam ordinariam, quam delegatam, eſſe prorogabilem; cum enim prorogatio ſit juriſdictionis extenſio, ubi fuerit juriſdictio, dari poterit & prorogatio, niſi a jure prohibita reperiatur. Sed quia præſentis inſtituti eſt ea, quæ ad juriſdictionem delegatam ſpectant, proſequi, tantum de prorogatione juriſdictionis delegatæ in præſenti agemus: prorogationem autem juriſdictionis ordinariæ exponemus, *in c. ſignificaſti, de foro comp.* interim videndi ſunt Oſvald. *l.* 17. *Donelli, c.* 10. *litt. P. D.* Perez. *in l.* 4. *tit.* 4. *l.* 4. *Ordin.* Vinius *l.* 1. *ſelect. c.* 4. *& de juriſd. c.* 10. *de proreg.* Morla *in emporio, tit.* 2. *de juriſd. q.* 21. Pet. Barb. *in l.* 1. *art.* 1. *nu.* 20. *ff. de judic.* Cabedo *t.* 1. *dec.* 12. Vultejus *in l.* 1. *n.* 44. *C. de juriſd.* fuſe Carleval. *de judic. diſp.* 2. *q.* 8. *ſect.* 2. igitur ut ad prorogationem juriſdictionis delegatæ diſputationem contrahamus, præmittenda prius ſunt requiſita prorogationis. Varia enim deſiderantur ad prorogationem juriſdictionis delegatæ. Primo ex parte judicis ſpectatur, ut adhuc judex ſit; nam privati juriſdictio, quæ nulla eſt, neque prorogari, neque protrahi debet, *l.* 1. *verſ. Cujuſvis, l. ſi convenerit* 18. *§. ſi convenerit, ff. de judic. c.* 1. *ver. apud alios, c. ſignificaſti, de for. comp. c. P. & G. hoc tit.* Sahagun *in præſenti, c.* 4. Quintanadvennas *de proreg. juriſd. n.* 9. Secundo deſideratur ex parte litigantium, ut utraque pars conſentiat in prorogationem, ex hoc textu in illis verbis, *de communi conſenſu, ut in d. l. ſi convenerit* 18. Quintanadvennas *ubi ſ.* Ripol. *de juriſ. c.* 1. *n.* 398. quod enim omnes tangit, debet ab omnibus approbari, regula *Quod omnes de reg. jur. l.* 6. unde ob eamdem rationem, & judicis delegati voluntas expectatur. Tertio deſideratur, ut juriſdictio prorogetur ſub eadem forma, & ſpecie juriſdictionis, hoc eſt, quod prorogetur juriſdictio eo modo, quo delegatus eam obtinebat, videlicet ut ſi civilis erat juriſdictio, ad civilem cauſam prorogetur, non vero ad criminalem, *l. ſolemus* 61. *§. latrunculator, ff. de judic.* ſi cauſa feudalis commiſſa ſit, ad ſimilem prorogetur, ut poſt Felinum *in præſenti, n.* 2. docent Guttier. *de juram. l.* 1. *c.* 49. *n.* 8. Vultejus *in l.* 1. *C. de juriſd. n.* 108. *& in l.* 5. *n.* 10. *l.* 1. *de judiciis, c.* 4. *n.* 174.

4 Juriſdictio delegata poteſt prorogari.

5 Prorogatio ad quæ extendatur.

Prorogatio hæc juriſdictionis delegatæ quatuor modis contingere valet, videlicet de re ad rem, (ſub quo modo complectimur de cauſa ad cauſam, de quantitate ad quantitatem) de loco ad locum, de tempore ad tempus, de perſona ad perſonam. Docent Claſſici repentes *in præſenti, & in c. P. & G. hoc tit.* Vinius *de juriſd. c.* 10. *&* 11. De re ad rem poteſt juriſdictio delegata prorogari, dum cauſa, ad quam prorogatur, ſit ejuſdem naturæ, *c. cum olim*, 32. *hoc tit.* quod & in judice ordinario procedit, *l. de qua re*, 74. *§.* 1. *ff. de jud. l. inter*, 18. *ff. ad munic.* Docent Didacus, Perez *in l.* 1. *tit.* 4. *l.* 3. *ordin.* Sahagun *in præſenti, n.* 24. Morla *d. q.* 21. *n.* 2. circa prorogationem de loco ad locum certum eſt, eam admitti in juriſdictione delegata, *c. ſtatutum* 11. *§. in nullo, de reſcriptis, l.* 6. Docent ultra ordinarios *in d. c. P. & G.* Maranta *de ordin. judicior.* 4. *p. d.* 12. *a n.* 4. Quintanadvennas *n.* 5. Boſquet. *ad Innoc. l.* 3. *ep.* 123. Circa judicem ordinarium magna controverſia eſt: negant Bartol. *in l.* 2. *ff. de judiciis, n. fin. l.* 1. *C. de juriſd. n.* 1. Arnold. Vinius *l.* 1. *ſelect. c.* 4. ad cujus ſolutionem videndus eſt Carleval. *ubi ſup.* De tempore ad tempus etiam admittitur prorogatio ex hoc textu, & ſupra citatis; dum tamen adhuc perſiſtat juriſdictio delegata; nam ſi jam temporis lapſu expiravit, tunc prorogari non poteſt. Tandem de perſona ad perſonam licet in judice ordinario admittatur prorogatio, *l.* 1. *ff. de judic. c. ſignificaſti*, 18. *de for. com.* de quo accipiendus eſt text. *in d. l.* 1. *C. de juriſd.* tamen in delegato certum eſt, non admitti, *c. cum olim*, 32. *c. P. & G. de officio delegati*, Duaren. *de juriſd. c.* 2. Bocerus *eod. tract. cap.* 7. *nu.* 20. Vinius *de juriſd. cap.* 10. Vultejus *in l.* 1. *Cod. de juriſd. num.* 81. Cujus diſcriminis rationem in ſolutione ultimæ difficultatis aſſignabimus.

6 Diſſolvuntur difficultates.

Nec obſtant dubitandi rationes ſupra adductæ: nam licet juriſdictio delegata per litis conteſtationem perpetuetur, & juriſdictio quælibet ſua natura perpetua credatur; hoc tamen procedit, niſi in delegatione tempus adjiciatur; tunc enim temporis adjectione efficitur temporalis, & ſic elapſo tempore aſſignato ex expreſſa delegantis voluntate, finitur juriſdictio delegata, Baſilius. *de matr. l.* 5. *c.* 25. *n.* 2. Nec primum augmentum hujus difficultatis refragatur; nam licet jure civili inſpecto triennii lapſu expiret inſtantia judicis ordinarii, *d. l. properandum*, cum ſimilibus; tamen jure noſtro Pontificio hujuſmodi triennii lapſu non finitur inſtantia, *c. cum olim, verſ. Judices, de privil. c. fin. de probat.* Docent Didacus Perez, Narbona, & Paz, *ubi ſup.* Ciron *in d. c. venerabilis*: unde adhuc poſt triennium poteſt judex Eccleſiaſticus ſententiam proferre, licet hodie poſt Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *de reform. c.* 20. elapſo biennio partes poſſint adire ſuperiorem propter negligentiam ordinarii, ut late pro explicatione ipſius text. docent Angujan. *l.* 1. *de leg. c.* 17. *n.* 29. Franciſc. Valens *in concordia juris q.* 3. *ſect.* 2. ubi hoc diſcrimen in utroque jure agnoſcit, & acriter defendit. Nec ſecundum augmentum adverſatur, licet enim partes privato juriſdictionem dare non poſſint, tamen judicis juriſdictionem prorogare valent, quia nihil de novo illi præſtant, ſed tantum juriſdictionem conceſſam extendunt ad longum tempus: quod ex tacita delegantis voluntate faciunt; nam cum aſſignatur delegato tempus, jam ex juris diſpoſitione ineſt illa conditio, quin a partibus prorogetur: quare litigatores tempus prorogando utuntur facultate a jure permiſſa, & juxta voluntatem delegantis. Unde eadem juriſdictio erit prorogata, ac fuit delegata, argumento legis *ſed ſi momento, ff. de precario*: quare in prorogatione repetitæ cenſentur omnes clauſulæ a delegante adjectæ, ut reſolvunt Jaſon *in l.* 1. *§. & poſt operis, ff. de novi operis nunt.* Felinus *in c.* 2. *n.* 34. *deſponſalibus*. Nec etiam obſtat ſecunda dubitandi ratio ſupra adducta; verum enim eſt, juriſdictionem delegatam ſtrictam eſſe, & odioſam, ideoque reſtringendam; ſed non inde recte infertur, ejus prorogationem, quæ ex natura ipſius juriſdictionis delegatæ, & tacito jure provenit, admitti: licet enim ad omiſſa, & non expreſſa in reſcripto delegationis extendi juriſdictio non poſſit, *d. c. Rodulphus, dict. c. ſignificavit, de reſcriptis*; tamen ad tempus prorogari poteſt, ex ratione ſupra adducta. Nec ejus difficultatis augmentum obſtat; nam valet argumentum de tempore ad perſonas, quando contrarium in jure expreſſum non reperitur, ut in hoc caſu, in quo expreſſum invenitur, prorogari poſſe juriſdictionem de tempore ad tempus, ex noſtro textu, & ſimilibus; non autem de perſona ad perſonam, *d. c. P. & G.* Cujus differentiæ ratio in eo conſiſtit; nam facilius quid augetur, & prorogatur, quam de novo conceditur, *l.* 2. *§.* 1. *ff. de judiciis, l. quod ſi dubitet, ff. de acquir. hered.* unde ad tempus poteſt juriſdictio prorogari, quia extenditur; ad perſonas vero non prorogatur, quia in eas de novo creatur, & præjudicatur ordinario, a cujus juriſdictione illæ ſubtrahuntur virtute prorogationis: & tunc verum eſt privatorum conſenſum illum judicem facere non poſſe, qui alia judex non eſt.

7 Exponitur c. venerabili, de judiciis.

Adhuc tamen ſuperiori aſſertioni obſtat textus *in c. venerabili*, 20. *de judiciis*, ubi proponitur cauſam diſceptari inter Simeonem Archiep. Ravennatenſem ex una parte, & communitatem Corvienſem ex altera: & cum cauſa commiſſa eſſet Magiſtro Tancredo Bononienſi, ipſa univerſitas Corvienſis propoſuit triennium eſſe tranſactum, & ſic judicem delegatum amplius in ea cauſa procedere non poſſe, quia lapſu triennii in delegatione aſſignati expiraverat ejus juriſdictio. Conſultus fuit Honorius III. qui anno 1224. die 15. Kalendas Februarii reſcripſit, judicem delegatum poſſe in cognitione cauſæ procedere, quia cauſa commiſſa fuerat anno 1221. Ex qua Honorii deciſione expreſſe deducitur, lapſu temporis non finiri juriſdictionem delegatam. Pro hujus textus interpretatione dicendum eſt, in eo non tractari de delegatione cum temporis præfinitione facta, ſed juriſdictione indefinite mandata: ſed quia jure Cæſareo triennium aſſignatum eſt ad inſtantiam finiendam, exiſtimabat univerſitas Corvienſis, etiam jure Pontificio lapſu triennii expirare inſtantiam; & ſic proponebant juriſdictionem judicis delegati ceſſaſſe per lapſum triennii. Honorius autem, tum quia doloſe, & per cavillationes, atque ſubterfugia triennium lapſum erat, quo caſu per tranſcurſum triennii non ceſſat inſtantia, *l. arbitrio* 18. *§. dolo, ff. de dolo*, Harmenopulus *l.* 1. *prompt. tit.* 4. tum quia jure Pontificio, ut ſupra diximus, inſtantia non perit triennio, ſtatuit adhuc judicem delegatum poſſe in cauſa procedere. Ita illum textum expoſuerunt Cironius quinta compilatione *ad ipſum*. Covarruv. *in c. quamvis*, 2. *p. §.* 2. *de pactis in* 6. Baſilius *l.* 5. *de matrim. c.* 25. Anguinianus *l.* 3. *de legibus, c.* 17. *per totum*. Alia dabimus *in c.* 2. *de re judic.*

8 Intelligitur c. conſuluit 24. hoc tit.

Ex ſupra traditis accipit lucem textus *in c. conſuluit*, 24. *hoc tit.* ubi judex delegatus cum certa temporis præfinitione, intra quod cauſam terminaret, terminum peremptorium partibus aſſignavit ad comparendum, ut ſententiam audirent, & cum una ex partibus contumaciter abeſſet, quæſitum fuit ab Innocentio, utrum denuo eſſet citanda. Cui quæſtioni Innocentius III. ſub diſtinctione reſpondet, videlicet ut ſi juriſdictio delegata duret poſt terminum peremptorium, ex æquitate poſſe illum expectare, & gratia facta iterum citare; ſi vero in die aſſignata partibus expiret juriſdictio, & hora competente pars citata non comparuerit, poſſe delegatum, aut publicationem teſtium facere, aut ſententiam proferre. Ex qua deciſione colligitur, juriſdictionem delegatam finiri elapſo termino, intra quem poſſit judex ſententiam proferre; nam etſi tempus aſſignatum integre elapſum non eſſet, cum tamen ſententia nocte proferri non poſſit, ideo ſi pars citata hora competenti non comparuerit, ne lapſu temporis juriſdictio expiret, poteſt ſententiam proferre, parte non comparente. Alia, quæ ad hujus textus illuſtrationem ſpectant, petenda ſunt ex ejus notis.

§.

ILlis etiam, qui pro cauſis tibi commiſſis ad citationem tuam venire, aut tuo ſuper his judicio parere *a* neglexerunt, ſi tale fuerit negotium, quod certa exinde pœna canonibus exprimatur, eam infligas: alioquin pro delicti qualitate, & cauſæ, ſecundum tum arbitrium punias.

NOTÆ.

a NEglexerunt.) De quibus plura adduxi *in cap.* 1. *hoc tit.*

COMMENTARIUM.

1 Concluſio probatur.

EX hoc §. communiter deducitur ſequens aſſertio; *Ubi certa pœna a jure ſtatuta eſt in delictis, illa debet a delegato imponi: ubi vero expreſſa non eſt, arbitrio judicis infligitur*. Primam partem hujus aſſertionis probant text. *in c. licet* 3. *de pœn. c. cognovimus, §. ult.* 6. *q. c. non afferenda* 24. *q.* 1. *c. ult. §. accuſ.* 2. *q.* 3. *c. in memoriam*, 3. *v. ut licet*, 19. *d. c. ſi quem* 8. *v. Pœnam* 2. *q.* 3. *c. fin. de tranſact. l.* 1. *§. calumniat, ff. ad Turpil. l. proſpexit. ff. qui, & a quibus, l. Divi*, 27. *§. ſed id, l. reſpiciendum, l. aut facta* 16. *in fin. ff. de pœn. l. ſi opere, v. pœnam, C. eod. tit. l.* 3. *C. ne ſanctum Baptiſma*. Secundam concluſionis partem firmant text. *in c. ſicut* 6. *de homic. c. aut facta, §.* 1. *de pœnit. d.* 1. *l.* 4. *§. pen. ff. de incend. & ruina*. Illuſtrant plures congeſti a Cenedo *ad Decret. collect.* 46. Barboſa *in præſenti*, quibus addendi ſunt Cov. *l.* 2. *var. c.* 9. *n.* 8. Sarmient. *de reddit. p.* 1. *c.* 2. *n.* 9. Sahagun. *in præſenti*, Morla *de emporio, t. de leg. q.* 10. Angujan. *l.* 2. *controv. c.* 5. Bobadill. *l.* 2. *polit. c.* 10. Fragoſo *regim. p.* 1. *l.* 4. *diſp.* 11. Vighell. *in method. juris can. pag.* 44. P. Greg. *l.* 4. *part. tit.* 15. *c.* 3. Grot. *in florib. ſparſ. ad tit. ff. de pœnis*, Ant. Matthæus *t.* 2. *de cri. pag.* 871. innumeros referens Carleval. *in addit. ad* 1. *p. de judic. diſp.* 15.

2 Impugnatur hæc aſſertio.

Sed in contrarium plura utriuſque juris teſtimonia proclamant, aſſerentia, etiam in pœnis a lege præſcriptis locum eſſe judicis arbitrio, & adhuc licere illius ſententiam mollire, *l. quid ergo, §. pœna, ff. de his, qui notantur, l. & ſi ſucceſſ. C. ex quib. cauſis infam. l. hodie* 13. *l. aut facta, ff. de pœnis, l. ad tempus, de Decur. l. ordine, in princ. ff. ad munic. c. tempora, §. de his*, 26. *q.* 7. *c. in actione* 83. *cum ſeq. de pœn. d.* 1. *l.* 4. *tit.* 22. *part.* 3. *l.* 6. *tit.* 6. *part.* 7. Faciunt D. Aug. *ep.* 158. ibi: *Soleo enim audire, in poteſtate eſſe judicis mollire ſententiam, & mitius vindicare, quam jubent leges*. Plin. *l.* 6. *ep.* 9. ibi: *Cepio cum putaret licere Senatui, ſicut licet, & mitigare leges, & intendere, non ſine ratione, veniam dedit facto vetito quidem, ſed neceſſitate*. Igitur licet pœna certa adverſus impedientem juriſdictionem ſtatuta ſit, poteſt minui, augerive a judice delegato. Secundo difficilis eſt præſens deciſio, in qua agitur de contumace non comparente coram judice delegato, ex eo; nam adverſus eum certæ ſtatutæ ſunt pœnæ, ut miſſio in poſſeſſionem, rei ſequeſtratio, & excommunicatio, *l.* 1. *ff. ſi quis jus dicenti, l. conſentaneum* 8. *C. quomodo, & quando, c.* 1. *&* 2. *c. prout* 4. *de dolo, & contumac. c.* 1. *&* 2. *de eo qui mittitur, c. quoniam, ut lite non conteſtata*: igitur diſtinctio ab Alexandro facta, utrum pœna eſſet ſtatuta a jure, vel non, conſultationi non adaptatur, cum in præſenti ſpecie certa pœna ſtatuta reperiatur.

3 De pœnis a jure ſtatutis.

Quibus difficultatibus minime obſtantibus vera eſt Alexandri deciſio, videlicet pœnam a jure ſtatutam pro quolibet delicto, ipſam a judice irroganda meſſe; ſi autem nulla ſtatuta reperiatur; arbitrio judicis relinqui, quænam imponenda ſit. Ad cujus expoſitionem ſciendum eſt, nullam eſſe rempublicam rite, legitimeque ordinatam, ubi non ſint præmia juſtis, & probis hominibus decreta, & pœnæ dyſcolis, & facinoroſis ſtatutæ, ut poſt criminaliſtas, Farinacium videlicet, Canteram, Julium Clarum, Plazam, Guttierez, Caballo, Guazinum, & Tiberium Decianum, docent Vela *de delictis, c.* 1. Gibal. *t.* 2. *de negot. l.* 6. *c.* 2. *art.* 3. Anton. Mat. *p.* 1. *de crim. c.* 1. Grotius *de jure belli, l.* 2. *c.* 20. *per tot.* plures ex politicis congerens doctiſſimus vir D. Joann. de Solorz. *emblem.* 73. Inter ea enim, quæ natura dictat, nihil rectius, juſtiuſque eſt, quam ut qui malum facit, malum ferat. Lactant. *de ira Dei, c.* 17. *Non exiguo falluntur errore, qui cenſuram, ſive humanam, ſive Divinam, acerbitatis, & malitiæ nomine infamant, putantes nocentem dici oportere, qui nocentes afficit pœna*. Et Plato ajebat: *Nec Deorum, nec hominum quiſquam hoc dixerit, injuſte agenti non luendam pœnam*. Quare pœna diffinitur, *Malum paſſionis ob malum actionis*. Plura Grotius *d. c.* 20. ubi docte diſputat, an pœnarum conſtitutio pertineat ad juſtitiam aſſignatricem an vero ad expletricem. Cauſa autem pœnæ ſanciendæ, eſt improborum emendatio, & bonorum formidatio. D. Iſidor. relatus *in c.* 1. 4. *diſ.* ibi: *Factæ ſunt autem leges, ut earum metu humana coerceatur audacia, tutaque ſit inter improbos innocentia; ſed in ipſis improbis formidato ſupplicio refrænetur nocendi cupiditas*. Quem locum explicat D. Th. 1. 2. *q.* 95. *art.* 1. *v. Sed contra*. Pœnarum ergo comminatio ſancita fuit a Legumlatoribus, tamquam medium magis efficax; non vero tamquam medium magis concupitum, aut magis optatum. Vellent enim potius homines bonos, imo optimos facere propoſitione præmiorum, quam a malo eos retrahere pœnarum metu; ſed quia quod

optant,

BIBLIOTECA CENTRAL

BIBLIOTECA CENTRAL

optant, non poſſunt aſſequi per illud medium, ideo ad hoc deſcendunt neceſſitate adacti, ut philoſophatur Plato *l. 9. d. legibus*; cui merito adjungenda ſunt verba Decretalium extravagantis Joannis XXII. Inter ſuas, quæ eſt prima *ſub tit. de pœnis*, lata contra homines Marchiæ Anconitanæ: & alia ejuſdem inter communes, quæ eſt unica, *ſub eod. tit. de pęnis*, in depoſitione Ugonis Gerardi Epiſcopi Cartucenſis, quarum verba eſſent referenda, niſi eſſent nimis prolixa. Quod votum etiam eleganter oſtendunt Cæſares *in l. ult. C. de ſtatutis, & imaginibus*, & Pontifex *in Clem. ult. de pęnit.* Quare præmium, & pœna, quaſi poli ſunt hujus cæli politici, & baſes hujus firmiſſimæ columnæ. Audiamus Solonem apud Tull. *l. un. ep. ad Brutum, ep.15. Nec ſolum* inquit, *ut Solonis dictum uſurpem, qui & ſapiens unus fuit ex ſeptem, & legum ſcriptor ſolus ex ſeptem: is Rempublicam duabus rebus contineri dixit, præmio, & pœna*. De quo argumento etiam adjungendus eſt Ariſt. *l.3. Ethicorum, c.1. & 5.* quod late verſant nuperi politici, pro quorum numero unus ſolum ſufficiat vir litteraria gaza ditiſſimus noſter Solorzanus *emblem. 78.* addique poſſunt Stephanus Nathen. *1. p. de juſt. vulner. tit. 3. fere per tot.* Fortunius Garcia *in tr. de ult. fine, in oratione præfixa operi*, Vellejus de Guevara *ad 1. ff. de juſtit. l. 5. ex n.4.* & alii, qui tamquam paſſim obvii in re protrita ſuperfluo referrentur.

4 *Modus in pœnis attenditur.* Sed etſi omne jus, rectaque ratio poſcant, ut pœna a ſontibus exigatur, nocenteſque pœnas luant: tamen ipſa jura efflagitant, ut noxæ ſit æqua punitio, cum delictoque pœna commenſuretur, atque æqualitas inter pœnam, & culpam detur; unde inter alias Deuteronomii leges illa legitur, *c.25. Pro menſura delicti erit plagarum & modus*. Et in ipſo Dei judicio ſervari teſtatur D. Joannes *in ſua Apocal. c.18.* ibi: *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, date illi tormentum, & luctum*: De qua æqualitate Horatius *l. 1. Sat. 3.* agit, dum ait;

Ponderibus, moduliſque ſuis ratio utitur, ac res,
Ut quæque eſt, ita ſuppliciis delicta coercet.

Et inferius *eadem Satyra*, ibi;

Regula peccatis, quæ pœnas irroget æquas;
Ne ſcutica dignum horribili ſectere flagello.

Et Ovidius *in Triſtibus* deprecabatur:

Tutius exilium, paulo quietius oro,
Ut par delicto ſit mea pœna ſuo.

Plura juris, & bonæ notæ auctorum teſtimonia adducunt Velaſco *in axiom. littera P*, Menoch. *l.1. de arbit. q.90.* Menchaca *illuſtrium c.8. n.5.* Grotius *de jure belli, dict. l.2. c. 30.* Solorzanus *d. emblem.73.* Bernergerus *ad Tacitum, q.61.* Ut ergo hæc æqualitas a Magiſtratibus in pœnis infligendis ſervetur, juris utriuſque conditores ſingulas ſingulis delictis impoſuerunt, ut conſtat ex pœnitentiali Romano, & *tot. l. 5. hujus voluminis*; & ultima fere Digeſtorum parte, ubi pro varietate delictorum diverſæ ſtatuuntur pœnæ, quas docte, & noviter exponit & illuſtrant Antonius Matthæis *de pęnis delictorum*, ſed quia non omnia delicta cum ſuis circumſtantiis æque conſiderari valent, & æſtimari, aliquando pœna eorum arbitrio judicis relinquitur, ut ipſe pro ſuo arbitrio diſponat.

5 *Traditur ratio decidendi.* His præmiſſis ratio primæ partis deciſionis ex eo provenit; nam inferior non poteſt ſuperioris legem immutare aut corrigere, *c. cum inferior, de majorit. & obed.* unde cum lex, quæ ſuperior eſt quocumque Magiſtratu, aliquam pœnam irrogat, eam judex mutare minuendo, vel augendo non debet, *c. judicet, 3.q.6.* Bonus judex nihil ex arbitrio ſuo facit, ſed ſecundum leges pronuntiat, *c. de libellis, 20. d. authent. de judicibus, collat. 6. §. non oportet*. Judex non debet eſſe clementior lege ſcripta, *novella 82. Juſtiniani de Judicibus, §. ut autem*. Quo ſpectat quod ex Papiniano refert Marcianus *in l. 1. ad l. Turpil.* facti quæſtionem eſſe in arbitrio judicantis; pœnæ autem perſecutionem reſervari legis auctoritati. Cui conjungenda eſt lex *15. ff. ad municip.* unde ſolent Imperatores judicibus minari, ſi pęnas leges præſcriptas molliverint, ut *in l. 8. C. Theod. de appellat. l. 8. C. ad leg. Jul. de vi publ.* hinc *l. in 65. C. Theod. de heret.* dicitur: *Nulli judicium licere delatum ad ſe crimen minori, aut nulli coercitioni mandare, niſi ipſe velit pati, quod aliis diſſimulando conceſſit*. Faciunt Simmachus *ep. extrem. l. ult. Alia eſt conditio Magiſtratuum, quorum corruptæ videntur eſſe ſententiæ, ſi ſint legibus mitiores: alia dominorum Principum poteſtas, quos decet acrimoniam ſeveri juris inflectere*. D. Aug. *in epiſt.158. ad Marcell. Soleo enim audire, in poteſtate eſſe judicis mollire ſententiam, & mitius vindicare quam leges*. Quæ verba de illis legibus, quæ ad terrorem ſcriptæ reperiuntur, accipit Gothofredus *in diſt. l.65.* Accedit & illa ratio: nam lex nullo affectu movetur, non iraſcitur, non odit, nulla ambitione ducitur; diligit omnes, pariterque omnibus indulget, ut conſiderat Greg. Lop. *in l.8. tit.1. part.1.* Quæ omnia contraria reperiuntur in judice: quare recte in præſenti deciditur, judicem delegatum non poſſe pœnas a jure ſtabilitas immutare; nonnunquam tamen mitior pœna ex juris diſpoſitione a jure ſtatuitur, ut ſi reus ad Eccleſiam aufugerit; tunc enim mitius punitur, *c. inter verſ. Ne judex, de immunit. eccl.* vel ſi reus pecuniaria pœna damnandus, non ſit ſolvendo, tunc arbitraria pœna corporali plectitur, *c. finem 5. §. & ſi ſolvendo, ff. de dolo, & contumac.* Secundæ partis præſentis aſſertionis ratio ex eo naſcitur, quia cui juriſdictio mandata eſt, ea omnia conceſſa intelliguntur, quæ ad ejus juriſdictionem ſpectant, *l.2. ff. de juriſd.* late probavi *in c. 1. hoc tit.* ſed ſi inobedientes, & contumaces, adverſus quos certa pena a jure ſtatuta non eſt, punire non poſſit delegatus, illuſoria redderetur ejus juriſdictio: igitur ut eam exequi valeat, recte in præſenti deciditur, arbitrariam pœnam eo caſu judicem delegatum imponere poſſe.

6 *Reſpondetur difficultatibus.* Nec obſtat prima difficultas ſupra adducta ex variis utriuſque juris teſtimoniis, quibus moti, & fulti Decius *in præſenti, n.9.* Tiraquell. *de pęnis tempor. in præfat. n.17.* Covarr. *l.2. variar. c.9. n.8.* exiſtimarunt, judicem ex juſta cauſa poſſe pęnam a jure ſtatutam mutare. Sed pro hujus difficultatis ſolutione diſcrimen conſtituendum eſt inter eum caſum, in quo ex juſta, & rationabili cauſa judex auget, minuitve pœnam a jure ſtatutam; & inter eum, in quo ſine juſta cauſa mutare intendit. Primo caſu recte pœnę mutatio fit; ſecundo vero neutiquam, ut docent Morla *in emporio tit. de legib. q.10.* Angujanus *eod. tr. l.2. controv.5.* Fragoſo *d. diſp.11.* licet contrarium, imo nulla etiam cauſa ſuggerente judicem poſſe pęnam mutare, defendat Mendoza *l.1. de pactis, c.3. n.30.* Hæc autem diſtinctio procedit, quando judex ante ſententiam, nempe in illius prolatione pœnam mutaverit; ſecus vero ſi poſt ſententiam prolatam. *l.5. tit.13. l.2. fori, l. 3. tit. 22. p. 3. l. 11. tit.6. l.3. l.14. tit.26. l.8. recopil.* Nec contrarium probat textus *in l.4. tit.22. p.3.* quem de pœnis arbitrariis accipiunt Greg. Lopez *ibi*, Morla *dict. q.10. n.9.* qui alios plures referunt. Nec ſecunda difficultas adverſatur, cui ſatisfacit Abbas in præſenti, *n. 12.* aſſerendo, miſſionem in poſſeſſionem non eſſe pœnam, ſed juris remedium, ut contumax in judicio compareat: quare adverſus eum aliam pœnam eſſe imponendam. Sed hæc ſolutio rejicitur a Decio, & Sahagun *in præſenti*. Quare ea, & aliis traditis a Berojo, Hoſtienſe, & Felino *in præſenti*, omiſſis, dicendum eſt, in hoc textu decidi caſum ſpecialem, in quo ob qualitatem negotii, aut perſonarum pœna certa ſtatuta non eſt, ibi: *Si tale fuerit negotium*: &c. ut ſi aliquis a delegato vocatus ut teſtimonium ferat, nolit comparare: in hoc enim caſu, & ſimili, cum certa pœna in jure non ſit ſtatuta, delegatus, cui conceſſa ſunt omnia ad cauſæ commiſſæ expeditionem, pœnam arbitrariam imponere debet. Docent, atque ita noſtrum textum accipiunt Menoch. *de arbitr. q. 95. n. 20.* plures relati a Cenedo *ad Decretales collect. 46.* Anguianus *d. c. 5.*

7 *Exponitur c. inquiſitionis de accuſat.* Adhuc ſuperiori aſſertioni opponitur textus *in c. inquiſitionis 21. de accuſat.* ubi cum cauſa, ſeu negotium inquiſitionis committeretur certis judicibus delegatis, & conſtaret delictum perpetratum depoſitione dignum eſſe, quæſitum fuit, utrum depoſitionis pœna illi eſſet infligenda? Et conſultus Innocentius III. reſpondet ſecundum perſonæ merita, & exceſſus qualitatem poſſe judices pœnam moderari. Ex qua deciſione expreſſe deducitur, judices delegatos poſſe pœnam a jure ſtatutam minuere, & mutare. Pro cujus textus interpretatione dicendum eſt, Alexandrum III. in præſenti agere de judicio ordinario, ubi ad petitionem partis proceditur; at vero Innocentius III. *in diſt. c. inquiſitionis*, loquitur in judicio extraordinario inquiſitionis, in quo non pęna ordinaria, ſed extraordinaria imponitur, ut docent Maranta *de ordine judic. d.10. n. 6.* Angujanus *dict. l.2. controv. c.5. n.34.* unde *in dict. c. inquiſitionis*, non pęna ordinaria depoſitionis, ſed extraordinaria imponitur. Cui diſtinctioni opponi ſolent textus *in c. qualiter, de accuſat. c.2. de confeſſis, c. fin. de celebr. Miſſar. c. ex litteris de exceſſib. Prælator.* quorum interpretatione dabimus in commentario textus *in dict. c. inquiſitionis*. Interim videndi ſunt Acunna *in c. Petro, 4. 47. diſt.* Fachineus *l.9. controv. c. 15.* Beroius *in d. c. qualiter, n.53.* Angujanus *d. l.2. de leg. c.6.*

8 *Intelligitur c. in Archiepiſcopatu, de raptor.* Secundo adverſatur textus *in c. in Archiep. de raptoribus*; ubi Alexander III. reſcribit Panormitano Archiepiſcopo, ut in cauſa criminandi contra Saracenos mulieres Chriſtianas, & pueros rapientes, & eis abutentes procederet; ita tamen ut in ea cauſa ſibi commiſſa a Rege Siciliæ, non imponeret pęnam ordinariam mortis, ſed tantum pecuniariam, & flagella dum ad effuſionem ſanguinis non perveniretur: igitur quia delegatus judex pœnam ordinariam a jure ſtatutam mutare poteſt. Cui difficultati, omiſſa ſolutione relata, & rejecta ab Angujano *d. l. controv. c. 5. n. 42.* dicendum eſt cum ipſo, *n. 44.* pęnam ordinariam in eo caſu eſſe ultimum ſupplicium, & ſic effuſionem ſanguinis continere, quam judices Eccleſiaſtici imponere non valent, *c. ſententiam cum vulgatis, ne clerici, vel monachi*: quare judex delegatus in eo textu non poterat pœnam ordinariam imponere, ſed tantum extraordinariam, per quam ad effuſionem ſanguinis non perveniretur.

C A P U T V.

Idem *Archiepiſcopo* a *Senonenſi*.

PRæterea ſuper hoc, quod nos conſulere voluiſti, utrum liceat judici delegato, non ordinario, ſine litteris commiſſoriis exigere contumacem, ut veniat, vel damnare, ſi non venerit; hoc tibi præſentium auctoritate innoteſcat, quod poſtquam ei cauſa, licet ſimpliciter, delegatur, ſatis poteſt noſtra auctoritate partes compellere, &

etiam contumaces ſeveritate Eccleſiaſtica coercere, etiamſi litteræ commiſſionis id non contineant, aut partes mandatum non habeant, ut accedant, quia ex eo, quod cauſa ſibi committitur, ſuper his omnibus, quæ ad cauſam ipſam ſpectare noſcuntur, plenariam recipit poteſtatem.

N O T Æ.

a SEnon.) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c. 6.* & poſt Concil. Later. *part. 7. c. 7.* De Eccleſia Senonenſi plura adduxi *in c. 1. de reſcript.* ubi eſt alia pars hujus textus, ex cujus notis petenda ſunt, quæ ad hanc inſcriptionem ſpectant, & commentarium hujus textus invenies *in c. 1. hoc tit.*

C A P U T VI.

Idem a *Vvinton. Epiſcopo*.

QUamvis ſimus multiplicitate negotiorum impliciti, & gravibus, diverſiſque ſolicitudinibus occupati: nos tamen cogit, præter commune debitum, tua fraterna charitas, & dilectio, qua perſonam tuam diligimus, tuis conſultationibus reſpondere, ne videamur indiſcuſſa relinquere, quæ nobis enodanda tua voluit diſcretio præſentare. Innoteſcat autem ſolicitudini tuæ, quod judex a nobis delegatus cauſam ſibi commiſſam poteſt alii *b* delegare, aut totam audiendam, & terminandam; aut etiam, ut allegationes audiant, & rationes, & atteſtationes recipiant, & ſententias ſibi ſervent, vel ut horum aliquid tantummodo faciant, juxta voluntatem, & beneplacitum delegantis; quamquam non poſſit eamdem cauſam alii *c* appellatione poſtpoſita delegare, etſi ſibi ſit appellatione remota commiſſa. Si vero duobus cauſa committitur, etiamſi non *d* apponatur, ut unus ſine altero in ea procedat: nihilominus unus ex ipſis, ſive ſuo conjudici, ſive alii, vices ſuas in hac parte committere poteſt.

N O T Æ.

1 a VVinton.) Ita legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c.7.* & poſt Conc. Later. *p.7. c.8.* De Eccleſia Vvinton. aliqua adduxi *in c. ceterum, 3. de reſcrip.*

b *Poteſt alii delegare*.) Juxta adducta *in c. ſi pro debilitate 2. hoc tit.* ubi hanc partem late expoſui. 2

c *Appellatione*.) Ut probabo *in c. 27. ſuper hoc tit.*

d *Si non apponatur*.) Clauſula, *quod ſi non omnes*, & quæ ad hunc textum ſpectant, adduxi, *in c. ſiſcitatus, de reſcript.*

C A P U T VII.

Idem a *Norvvic. Epiſcopo*.

SIgnificaſti nobis per litteras tuas, quod interdum a judice delegato fruſtra ſuper aliqua cauſa fertur ſententia, cum ordinarius judex eam ad mandatum ipſius nolit executioni mandare, vel aliis reſiſtentibus effectui mancipari non poſſit. Super hoc autem conſult. t. taliter reſpondemus, quod ſi judex ordinarius ad mandatum judicis a nobis delegati non vult, aut non poteſt, aliis reſiſtentibus, ſententiam ab eo latam effectui mancipare: delegatus judex eam auctoritate ſibi commiſſa poteſt executioni mandare, & ſi qui ſibi reſtiterint, eos Eccleſiaſtica ſententia coercere.

N O T Æ.

a NOrvvic.) Ita etiam habetur in prima collectione, *ſub hoc tit. c. 9.* & poſt Conc. Later. *p. 7. c. 11.* De Norvvicenſi Eccleſia aliqua obſervavi *in d. ſi quando, 5. de reſcript.* Alia pars hujus textus refertur, *in c. ſignificaſti, de jurepatr.*

C O M M E N T A R I U M.

1 EX hoc textu claſſici repetentes ita ſequentem deducunt aſſertionem: „ Delegatus Pontificis exequitur ſententiam „ ſuam, quam exequi non poteſt, aut non vult ille, cui eam „ exequendam commiſerat. *Probant eam textus* in c. in litte„ ris, 9. *ibi*: Per ſe aut per alium executioni mandavit. *Et* „ c. quærenti 26. Sed uſque ad integrum annum juriſdictio„ nem ſibi commiſſam ad exequendam ſententiam valeat ex„ ercere. *Et* c. paſtoralis 28. §. præterea, *ibi*: Ut interim „ executio ſententiæ ſuſpendatur; §. quia vero, in principio, „ cap. ex litteris, 29. *ibi*: Ad executionem ſententiæ; hoc „ tit. cap. paſtoralis 11. §. præterea, de officio Ordinarii, „ cap. cum veniſſet, de eo, qui mittitur, " ubi refertur, judicem delegatum pro exequenda ſententia miſiſſe actorem in poſſeſſionem, *c. is, cui 12. hoc tit. l. 6. ſi reus, 75.* Gloſſa *v. Præſens, de procur. l. ult. C. ubi, & apud quem, authent. de exhib. reis, §. ſi vero, collat. 5.* Conſonat lex *19. tit. part. 3.* Defendunt, & illuſtrant ultra congeſtos a Barboſa *in collect. & ſelect. ad hunc textum*: Sahagun *in præſenti*, Menoch. *de arbitr. l. 1. caſ. 74. n. 47. & 50.* Morla in emporio, *tit. de juriſd. 2. p. 9. 17.* Arellanus *l. 1. antin. 8.* Solorz. *t.2. de jure Indiar. l. 2. c. 19. n. 83.* Vighel. *in meth. juris Pontif. pag. 28.* Petr. Greg. *l. 5. part. tit. 5. c. 7.* Moneta *de commut. c. 5. n. 542.* Hothomanus *illuſtr. q. 28.* Mancinus *l. 1. Genial. c. 90.* Bronchorſt *centur. 1. aſſert. 14. & centur. 4 aſſert. 13.* Oſualdus *ad Donel. l. 17. c. 8. duplici litt. S.* Vega *in cap. ſi quis 4. n. 25. de foro compet.* ubi etiam Fermoſinus *q. 1. & in c. ceterum, eod. titul. q. 24.* Fragoſo *de regim. p. 1. lib. 1. diſp. 10. n. 126.* Pichardus *in manuductionis ad praxim, 2. p. §. 4. n. 13.* Cavellerius *in c. ſane 4. de foro compet. n. 99.* P. Mendo *in Bullam, diſp. 37. q. 4. n. 66.*

2 *Impugnatur præſens aſſertio.* Sed hæc aſſertio ita illuſtrata difficilis redditur ſequenti conſideratione. Juriſdictio delegata prolatione ſententiæ finitur, *c. in litteris 9.* ubi dicemus, *hoc tit.* & judex delegatus ſententia dicta functus eſt officio ſuo, ita ut poſtea nec eam corrigere, aut mutare poſſit, *ex reg. judex, 55. ff. de re judicat.* ubi Caſtrenſis *in principio*, Alexander *n. 12.* igitur judex delegatus non poteſt exequi ſententiam a ſe dictam, cum jam ejus officium expiraſſet, & ſententiæ executio ſpectet ad mixtum imperium, videlicet juriſdictionem cum modica coercitione. Accedit, nam illi poſſunt ſententiam exequi, qui proprio jure obtinent juriſdictionem, *l. a D. Pio 15. ff. de re judicata*, in illis verbis: *Magiſtratus populi Romani, ut judicum a ſe datorum, vel arbitrorum ſententias exequantur*. Sed judices delegati nullam habent juriſdictionem proprio jure, ſed alieno beneficio: igitur ſententiam a ſe prolatam exequi non poſſunt. Secundo difficilis eſt præſens deciſio, dum in ea docetur, poſſe judices delegatos exequi ſententias a ſe prolatas, cum judex ordinarius requiſitus, aut non poteſt, aut non vult eas exequi; nam judex delegatus poteſt cogere judicem ordinarium, ut ſuam exequatur ſententiam, *c. in litteris 9. c. quærenti 26. c. paſtoralis 28. §. quia vero, hoc tit.* igitur non recte in præſenti docetur judicem ordinarium excuſari poſſe a ſententiæ executione.

3 *De executione ſententiæ.* Ut his, & aliis difficultatibus ſatisfaciamus, & quid jure Cæſareo, Canonico, & Regio ſtatutum ſit circa executionem ſententiæ a delegato prolatæ, videamus, ſciendum eſt, ſententiam (poſtquam tranſacta eſt in rem judicatam) exequendam eſſe, ut ſic ad effectum perducatur, *l. 2. C. de executione ſententiæ, l. ſi cauſa, C. de tranſact. l. properandum, §. fin. autem, C. de judiciis*; ſive, ut ait Conſultus *in l. a D. Pio, §. 1. ff. de re judicata*, ad finem perſequatur: notant Cujac. *ad tit. C. de execut.* Vultejus *l. 3. de judiciis, c. 3.* alias fruſtra ſententia proferretur, ut finis litibus imponeretur, niſi executioni mandaretur quare rem judicatam paratam habere executionem, ut inſtrumentum guarentigium, probatur *ex l. 2. 3. & 45. tit. 21. l. 4. recop.* ubi notavit Azevedus, *l. 4. & 5. tit. 8. l. 3. ordinum*, ubi Didacus Perez: plura Rodericus Suarez *in l. poſt rem, ff. de re judic.* Cancerius *l. 3. variar. c. 17.* Parladorius *l. 2. rerum quotid. c. fin. §. 1.* Rodrig. *de executione ſententiæ*, Evia, & Villadiego laudati a Carleval *de judiciis to. 2. diſp. 8. nu. 2.* Nec intereſt, an ſententia lata ſit a judice Ordinario, an vero a delegato, dum ab ea appellatum non ſit; quia ſi appellatum non ſit; quia ſi appellatum fuerit, exequi non debet, *l. 2. l. in eos 16. leg. a Proconſulibus 19. l. præcipimus, §. 3. C. de appell.* niſi ſententia abſolutoria dicta ſit, quæ abſque ullo facto hominis exequitur, cum nulla indigeat traditione, *l. ſi inter me l. ex ſextante, §. Latinus, ff. de re judic.* Docent Salgado *de Regia protect. 4. p. c. 1. a 98.* Cabreros *de metu, l. 2. c. 28.* Valenzuela *conſ. 68. nu. 13. & 72.* Olea *de ceſſion. jur. tit. 3. q. 11. n. 12.*

4 *Qui ſententias exequantur.* Secundo præmittendum eſt, privatam perſonam etiam victricem in cauſa, non poſſe ſententiam exequi propria auctoritate, *l. miles, 6. §. 2. ff. de judic.* niſi judex competens illi permiſerit in poſſeſſionem ingredi, *l. dotis, 9. C. de ſoluto matrim.* vel ſi condemnatus conſentiat, ut qui obtinuit, ſententiam exequatur, *l. pignoris, C. de pignorib.* aut ſi periculum eſt in mora, Zaſius *in d. lege a D. Pio, n. 5.* Judex ergo debet ſententiam executioni mandare, ſed non ſemper ipſe, qui eam protulit. Jure enim civili, a quo, ut vetuſtiore, incipiendum eſt, cum eſſent varia judicum genera, alii enim dicebantur Magiſtratus majores populi Romani, alii minores Poteſtates; alii etiam Magiſtratus majoris Urbis, alii minores, ut Tribuni, Ædiles, & ſimiles, de quibus Oſualdus *l.*

17 *comment. c. 7. litt. R.* Gentilis *l. 2. de juriſdict. cap. 7. & 8.* Suar. *ad l. Aquil. l. 1. c. 2. ſect. 5.* Pancirola *in tract. de Magiſtrat.* Briſſonius *de V. S.* alii etiam erant judices dati a Prætore, vel Magiſtratibus, qui jus dandi eos habebant; alii erant delegati, quibus cognitio cauſæ committebatur, *l. 1. §. qui mandata, ff. de officio ejus*. Inter eos autem magnum dabatur diſcrimen, quoad poteſtatem exequendi ſententias a ſe prolatas; quia Magiſtratus populi Romani, tam majores, quam minores, pro ſua juriſdictione ſententias a ſe dictas exequebantur, *l. ſi cautam 31. C. de tranſact. l. 2. & 3. C. ſi in cauſam judicati pignus*: judices vero dati executionem ſuarum ſententiarum non habebant, ſed illi Magiſtratus, qui eos dederant, exequi debebant, *l. ait Prætor 5. l. a D. Pio 15. in principio, ff. de re judic. authent. de exhibendis reis, §. ſi vero 4. collat. 4.* Docent Donellus, Duarenus, Zaſius, & Gabriel Henriq. *in d. leg. a Div. Pio*, Oſualdus *l. 17. c. 21. litt. D. & G.* Vultejus *in l. 23. C. de juriſd. n. 14. & l. 3. de judic. c. 13. ex n. 7.* Gentilis *l. 1. de juriſd. c. 15. & l. 2. c. 27. & 30.* Goveanus *in l. 6. ff. de juriſd.* Polletus *l. 6. hiſt. fori, c. 16.* & alii ſupra citati. Cujus diſcriminis ratio perſpicua ex ſupra dictis eſt; nam cum executio ſententiæ ſpectet ad imperium, ſaltem illud, quod miſtum eſt, & cum juriſdictione conjunctum, Magiſtratus omnes habentes prædictum imperium poterant ſententias exequi, ut Magiſtratus populi Romani, tam majores, quam minores: at vero judices dati, qui tantum notionem habebant, non autem ullum imperium, ex defectu ipſius, hoc eſt coercitionis neceſſariæ ad executionem rei judicatæ ſententiam exequi non poterant; ſed magiſtratus populi Romani, qui eos dederunt, exequantur, *d. leg. a D. Pio*, ubi licet proponatur reſcriptum D. Pii, non tamen novum jus continet, ſed vetus confirmat, ut jam notarunt Duarenus *ibi*, Vultejus, *d. c. 13. de judiciis, n. 3.*

5 De judicibus delegatis. Hæc de judicibus datis, & Magiſtratibus ordinariis: circa delegatos vero magna apud juris utriuſque interpretes eſt hæſitatio. Exequi eos non poſſe ſententiam a ſe dictatam, docuerunt ex Legiſtis *in d. leg. a D. Pio*, Cumanus *in principio*, Jaſon *n. 3. & 6.* Alexand. *n. 3.* Alciatus *l. 2. paradox. c. 4. n. 3.* alii relati a Gabriele Henriquez *in d. leg. a D. Pio*: ex Canoniſtis *in c. ſane 4. de foro compet.* Abbas *nu. 36.* Felinus *n. fin.* plures congeſti a Sahagun *in præſenti, n. 10.* Cironius *ad noſtrum tit.* qui ultra ea, quæ ſupra pro ratione dubitandi adduximus, expendunt textum *in leg. ea quæ 26. §. 1. ad munic.* ubi aperte aſſeritur, Magiſtratibus municipalibus non licere in poſſeſſionem mittere cauſa rei ſervandæ: quam ita expendunt. Executio ſententiæ frequenter fit per miſſionem in poſſeſſionem ſed poteſtas mittendi in poſſeſſionem jure ſpeciali competit Magiſtratibus majoribus, ut in eo textu docetur; & ea, quæ competunt jure ſpeciali, mandata juriſdictione non tranſeunt, *l. 1. ff. de officio ejus*: igitur delegatus, qui non habet prædictam poteſtatem, exequi ſententiam a ſe dictam non valet. Inter hanc ſententiam, & affirmativam, quam defendimus, mediam elegerunt Fulgoſius *in d. leg. a Divo Pio, n. 2.* Gofredus, Caſaneus, & Valenſis *ad noſtrum tit.* Menochius *dict. caſ. 74. n. 5.* videlicet judices delegatos ab inferioribus Magiſtratibus exequi non poſſe ſententias a ſe prolatas, judices vero delegatos a Principe poſſe; & ad eos referenda eſſe ea jura, in quibus docetur, delegatos poſſe exequi ſententias a ſe prolatas. Sed hæc media ſententia admitti non poteſt in judicibus delegatis, licet quoad judices datos eam amplectantur, ut veram Cujacius *l. 12. obſerv. c. 21.* Oſualdus *l. 27. Donelli, c. 3. lit. H*, Gentilis *de juriſd. l. 3. c. 8. & 27.* ea ratione ſuffulti; nam ſententiam ſuam ille exequi poteſt, qui juriſdictionem habet: ſed judex datus a Principe eam habet, ſiquidem judicem dare poteſt, *l. a judice 12. C. de judiciis, leg. unica, C. qui pro ſua juriſd.* qui actus, videlicet judicem dare, ad juriſdictionem ſpectat, non ad notionem, *l. 1. in fine, leg. imperium, ff. de juriſd.* igitur, qui habet juriſdictionem a Principe, ſuam ſententiam exequi valet.

6 Ratio decidendi. Affirmativam ſententiam, quam ex noſtro textu, depromptam ſupra auctoritatibus probavimus, firmant ſupra laudati Interpretes ea potiſſima ratione jam executio ſententiæ ad miſtum imperium referri ſolet, ut docent Henriquez *in d. leg. a Divo Pio, n. 36.* Oſualdus *ad Donell. l. 17. c. 8. lit. I.* quia tamen miſtum imperium adjunctum eſt juriſdictioni, ut ab ea non ſeparetur, *leg. imperium 3. ff. de juriſd.* ideo delegatus, qui habet juriſdictionem, & ſimul miſtum imperium, jus habet exequendi ſententiam. Deinde nam executio ſententiæ fit virtute actionis judicati, quæ ex ſententia proficiſcitur, *l. ait Prætor 4. §. 1. & fin. l. ait Prætor 5. in principio, leg. miles 6. §. penult. & ultim. ff. de re judic. l. hoc jure 86. ff. de ſolutionibus, leg. ſi procurator 28. ff. de procurat.* Gentilis *l. 1. de juriſd. c. 31.* igitur ſicut alia, quæ ſpectant ad juriſdictionis uſum & exercitium, mandata juriſdictione conceſſa intelliguntur, ita & poteſtas exequendi ſententiam conceſſa præſumitur. Hoc facilius procedit jure noſtro inſpecto, quo non ſolum miſtum imperium, verum & merum delegari valet, ut infra probabimus: unde ſive ratione meri, ſeu miſti imperii, ſententiam a ſe prolatam exequi valet per ſe, aut executionem judici ordinario committere.

7 Diſſolvitur dubitandi ratio. Nec obſtant, quæ pro dubitandi ratione ſupra expendebamus. Non principium juris deductum *ex c. in litteris, hoc tit. l. judex, ff. de re judicata*; nam licet juriſdictio delegata expiret ſententia prolata; non tamen inde infertur, ſententiam exequi non poſſe, quia judex, ſive ordinarius, ſive delegatus, etiam prolata ſententia poteſt de ipſius nullitate cognoſcere, & novam docere, *l. 1. C. de ſent. l. ſi pro ſe, C. quomodo, & quando, l. 4. C. de accuſat.* Docent Menochius *de arbitr. l. 1. q. 6. n. 2.* Morla *d. tit. 2. q. 27. n. 18.* Amplius & Prætor, & Præſes, qui ſententiam protulerunt, poſſunt adverſus eam in integrum reſtitutionem concedere, *leg. Præſes, 28. ff. de minoribus*. Nec contrarium probat textus *in d. leg. judex*, qui intelligendus eſt de judicibus datis, non vero de delegatis: judices enim dati ſemel dicta ſententia, cum ejus executionem non haberent, ſtatim judices eſſe deſinebant, adeo ut ſi nulliter, & invalide judicaſſent, novum judicium a Prætore impetrandum eſſet, nec ipſi novam ſententiam proferre poterant, *leg. in ſententiis 59. §. ult. ff. de regul. juris, leg. ſi ut proponis 4. Cod. quomodo, & quando*: quam deciſionem licet aliqui ex antiquioribus accepiſſent de judicibus delegatis, verius juxta communem recentiorum Interpretum placitum eſt accipienda de judicibus datis; qui cum in uſu eſſe deiiſſent temporibus Triboniani Pandectarum compilatoris, ad judices generaliter ſumptos ipſe eam protraxit, ut jam notavit colendiſſimus Præceptor D. Joſephus de Retes *in d. leg. a Divo Pio, in principio, n. 27.* Nec etiam contrarium probat textus *in d. c. in litteris*, cujus interpretationem in ejus notis dabimus. Neque argumentum difficultatis deductum *ex d. leg. a Divo Pio*, adverſatur; nam falſum eſt, illum tantum judicem poſſe exequi ſententiam, qui juriſdictionem proprio jure habet; ſiquidem omnes, qui habent juriſdictionem, & per conſequens miſtum imperium, ſententias ſuas executioni mandare poſſunt. Nec contrarium probat dicta lex *a Divo Pio*: nam textus ille loquitur de judicibus datis, non vero delegatis, ut conſtat ex illis verbis: *judicum a ſe datorum*; & jam obſervavit Gabriel Henriq. *in eo textu*: illi enim cum notionem tantum, non juriſdictionem haberent, ſententiam exequi non poterant.

Nec adverſatur ſecunda difficultas deducta ex illis verbis 8 Intelligitur præſens textus.
noſtri textus: *Aut non vult, aut non poteſt*, nam pro ejus ſolutione ſciendum eſt, non ſemper eum ſententiam exequi, qui illam protulit, ſed interdum per alium executioni mandari, aut implorato auxilio, de quo remedio agemus *in c. 1. de off. ordinar.* vel mandata ejus executione, *l. & ſi Prætor, 3. ff. de officio ejus*, aut ut plerumque olim contingebat, alius judex dabatur ad judicandum, alius vero ad exequendam ſententiam, *leg. ult. Cod. de judiciis*, quam ita accipiunt Gentilis *l. 2. de juriſ. cap. 30.* Cujacius *l. 9. obſerv. c. 23.* Duaren. *in d. l. a Divo Pio*; quo caſu, qui ad exequendum dabantur, aut judices dicebantur, *d. l. a D. Pio, §. ſi poſt 6.* aut executores, *l. executionem, 7. C. de execut. rei judic.* ſeu arbitri ad exequendum, *l. penult. C. de Confeſſis*: ideo nonnunquam delegatus per ſe ſententiam exequitur, aliquando ordinario executionem committit, *c. paſtoralis 28. §. quia vero hoc tit.* Carleval. *d. t. 2. diſp. 7. n. 1.* quo caſu judices delegati cogere poſſunt ordinarium Magiſtratum, ut ſententiam exequatur, *c. in litteris 9. c. quærenti 26. c. paſtoralis 28. §. quia vero, hoc tit.* Nec contrarium ſuadet textus noſter in verbis ſupra relatis, quibus varias interpretationes adduxerunt Interpretes. Arellanus *l. 1. antin. 8.* exiſtimat cum aliis, tunc judicem delegatum poſſe ſententiam exequi, quando alias judex eſt ordinarius ratione officii; non vero ſi ſit privata perſona, quia tunc non poteſt ſententiam a ſe prolatam exequi, ſed judici ordinario ejus executionem debet committere; quia ipſe, cum non ſit ordinarius, non habet territorium: & ſi eo caſu nolit judex ordinarius requiſitus ſententiam proferre, tunc ait judicem delegatum, etiam privatam perſonam, poſſe eam executioni mandare. Sed hæc interpretatio ex ſupra dictis facile refellitur; ſiquidem delegatus quilibet, ſive territorium, ſive tantum juriſdictionem ſibi commiſſam habeat, exequi poteſt ſuam ſententiam, & cogere ordinarium judicem, ut eam exequatur. Lælius Mancinus *centur. 1. gental. c. 90.* tranſcriptus, & ſecutus a Barboſa *tom. 6. in præſenti*, noviter exiſtimat, textum hunc eſſe accipiendum de judice ordinario, in quo dubitabatur; an velit, nolitque exequi delegati ſententiam: quo caſu delegatum ipſum debere eam exequi. Quod ſi aperte conſtiterit, judicem ordinarium nolle ſententiam exequi, judicem delegatum poſſe eum compellere, ut eam exequatur.

Sed his, & aliis ſolutionibus omiſſis, exiſtimo in ſupra re- 9 Ejus vera interpretatio traditur.
latis verbis, nec doceri nec ſupponi judicem ordinarium renuentem exequi ſententiam a ſe prolatam, a delegato cogi non poſſe; in præſenti enim textu Alexander III. conſultus fuit a Norvicenſi Epiſcopo, utrum delegatus, qui juſſit judici ordinario, ut exequeretur ſententiam a ſe prolatam, & judex ordinarius renuit eam exequi; delegatus autem nolit ipſam cogere ad exequendum, fortaſſis quia ex juſta cauſa excuſabatur, poſſit reaſſumere ſententiæ executionem, & eam exequi: exiſtimabat Norvicenſis Antiſtes, hoc illi non licere; quia eam jam commiſit, & ſententia prolata, atque ejus executione mandata, functus erat officio ſuo, *c. in litteris 9. hoc tit.* Sed hac ratione inſuper habita, contrarium reſpondet Alexander, videlicet judicem delegatum poſſe reaſſumere executionem ordinario mandatam, & per ſe exequi, quia per commiſſionem executionis ſine effectu, non expirat judicis delegati juriſdictio, quod expreſſius Vvintonienſi Epiſcopo reſcripſit ipſe Alexander in hæc verba: Sententiam a delegato judice latam, ſi ad mandatum ipſius judicis delegati E- „ piſcopus executioni mandare neglexerit, is qui ex delega- „ tione Rom. Pontificis ſententiam tulit, eam executioni „ mandandi plenam, & liberam habeat facultatem. “ Quæ verba reperiuntur poſt Concil. Lateran. ſub ipſo Alexandro, *part. 7. c. 10.* & in prima collectione, *ſub hoc tit. c. 8.* in præ-

ſenti non dubitabantur, utrum judex delegatus poſſit cogere judicem ordinarium exequi ſententiam a ſe prolatam; ſed utrum ejus executione commiſſa ordinario, & ab eo neglecta, poſſit iterum reaſſumi a judice delegato, innuerunt hanc interpretationem Berojus *n. 15.* Panormitanus *hic, n. 6.*

10 Exponitur l. ea, quæ, ff. ad munic. Nec contrariæ ſententiæ eorum, qui negarunt judicem delegatum poſſe exequi ſententiam, favet textus *in d. leg. ea quæ 26. §. 1. ff. de mun.* quam ſupra expendebamus, nam certo certius eſt, judicem delegatum pro ſuæ ſententiæ executione poſſe mittere actorem in poſſeſſionem, *c. cum veniſſet: de eo, qui mittitur*: quia miſſio in poſſeſſionem ſpectat ad miſtum imperium. Gentilis *l. 1. de juriſd. c. 24.* quod probatur *ex l. 2. l. damnum 4. §. Divus 3. ff. de damno infecto*, ubi docetur, Duumviros poſſe mittere in poſſeſſionem, mandata illis hac poteſtate a Prætore: unde deducitur, miſſionem in poſſeſſionem delegari poſſe. Nec obſtat dicta lex *ea quæ 26.* nam omiſſa diſtinctione Goveani *in dict. leg. jubere, ff. de juriſd.* illi facile ſatisfacere poteſt, qui admittit ſententiam eorum, qui exiſtimarunt, Magiſtratus municipales, de quibus agitur *in dict. leg. ea quæ*, non habuiſſe juriſdictionem; ſed tantum notionem; & ſic ex defectu juriſdictionis conjunctæ cum miſto imperio, eos non potuiſſe in poſſeſſionem mittere. Ita docuerunt Bodinus *l. 1. de republ. c. 6. n. 54.* Gentilis *l. 2. de juriſd. c. 2.* Duarenus *de juriſd. c. 4. & l. 1. diſp. c. 53.* Anton. Aug. *l. 4. emend. c. 6.* Sed hæc ſententia refellitur *ex l. 1.* a contrario ſenſu, *ff. ſi quis jus dicenti*. Quare pro vera illius textus interpretatione dicendum eſt, Magiſtratum municipalem juriſdictionem habere conjunctam cum imperio aliquo, ſed non cum magno, ut habebant Magiſtratus provinciales, Proconſules videlicet, Præfecti Auguſtales, & ſimiles: imperium enim eorum limitatum erat pro modo juriſdictionis ad certum genus cauſarum; quare non omnia ea exequi poterant, quæ magis ad imperium ſpectabant: quorum exempla proponuntur *in d. leg. ea quæ, 26. l. jubere 4. ff. de juriſd.* Docent Oſualdus *ad Donell. l. 17. comment. c. 7. litt. R.* Gentilis *l. 2. de juriſd. c. 7.* Suarez *ad l. Aquil. l. 1. c. 2. ſect. 5.* nec inde recte infertur, judices delegatos non poſſe ſententiam exequi, cum illi habeant juriſdictionem conjunctam cum imperio.

11 Intelligitur c. ſi quis 4. de foro compet. Adhuc ſupradictæ aſſertioni opponitur textus *in c. ſi quis contra 4. de foro compet.* ubi a Gregorio Magno ſtatuitur, ut ſi quis contra clericum actionem velit intentare, adeat ejus Epiſcopum; & ſi talis Epiſcopus fuerit, ut ſuſpectus recuſatus, detur executor, ideſt judex delegatus, quem ſi actor recuſaverit, ab Epiſcopo eſt alius deputandus, qui partes cogat ex mutuo conſenſu judices eligere, a quibus ab Epiſcope judicatum executioni mandetur. Ex qua deciſione Gloſſa, & antiquiores ibi deducunt, judicem delegatum non poſſe ſuam ſententiam exequi, ſed ad ejus executionem adeundum eſſe judicem delegantem. Pro hujus difficultatis ſolutione varia adduxerunt Gloſſa ibi, *verbo ipſius ſolicitudine*: Vega *in eo textu*, Quibus omiſſis dicendum eſt, Gregorium in ea ſpecie non agere de judicibus delegatis, ſed potius de arbitris juris electis in cauſa ſuſpicionis, de quibus *in c. ſuſpicionis, 26. hoc tit.* jubetur enim in eo textu, ut eorum ſententia exequatur, vel ab Epiſcopo, jam ut ſuſpecto remoto, vel ab ipſo defenſore Corſicæ, a quo partes cogendæ erant arbitros eligere, ut in integra illius textus legitur: etiam notavit Gujacius, *ibi*, qui accipit illa verba, *lege ſervata*, de lege *a Divo Pio, ff. de re judicat.* quæ formam executionibus præſcripſit. Eum ſequitur Vultejus *l. 3. de judiciis, c. 13. n. 20.* Cum ergo ibi non agatur de delegatis cum juriſdictione, ſed tantum de arbitris, merito aſſeritur, Epiſcopum, ut ordinarium debere exequi ſententiam a ſe prolatam. Eodem fere modo intelligendus eſt textus *in c. quiſquis 19. 2. q. 6.* ubi Gloſſa, & Archidiaconus docent, agi de delegato inferioris, non vero de delegato Pontificis; & delegatum inferioris non poſſe ſententiam exequi. Nam textus ille non loquitur de judicibus delegatis, ſed de arbitris electis, & electitiis, qui ex conſenſu partium a Primate dabantur, & ab ipſo eorum ſententia executioni mandanda erat: & ſi adhuc admitteremus, textus *in d. c. ſi quis 4. & in d. c. quiſquis, 19.* procedere in judicibus delegatis, reſponderi poteſt, eſſe exaudiendos de illis judicibus delegatis, quibus cauſæ cognitio cum prolatione ſententiæ committebatur, excepta executione; iſti enim non poſſunt ſententiam exequi, *c. ſuper 27. hoc tit. l. 1. C. ſi contra jus, l. 19. tit. 4. part. 3.* quia cum fines delegationis diligenter ſint ſervandi, *c. cum dilecta de reſcriptis*; ideo ſicut ille cui commiſſa eſt tantum cauſæ cognitio, vel litis exordium, ut *in c. ſuper 27. §. intentionis, c. paſtoralis 28. §. item*; aut examen teſtium, ut *in c. cum te 18. hoc tit.* non poteſt ad ulteriora procedere; ita delegatus ad ſententiæ prolationem, non poteſt eam exequi ex defectu commiſſionis; & in hoc caſu judex delegatus non habet facultatem exequendi ſententiam a ſe dictam. Docent Vultejus *de judic. d. c. 31. n. 19.* Gentilis *l. 2. de juriſd. c. 30. & 31.*

C A P U T VIII.

a Idem.

SI quando clerici coram judice delegato Prælatos Eccleſiarum ſuper Eccleſiis, quas tenent, in cauſam traxerint, & coram eodem judice *b* tranſactione, vel alio modo Eccleſias obtinuerint, in quibus certum ſit eos inſtitutionem canonicam nullatenus habuiſſe, nec poſſeſſionem etiam corporalem; judex ordinarius non debet delegati judicis mandato *c* reſiſtere violenter, ſed apud ipſum inſtare debet, ut differat illos in poſſeſſionem mittere, donec rei veritas nobis innoteſcat.

N O T Æ.

a *IDem.*) Et eidem, ut legitur poſt Concilii Lateran. ſub Alexandro III. *7. part. c. 1.* plura enim reſcripta pro diverſitate cauſarum miſit noſter Alexander Norvicenſi Epiſcopo, ut jam notavi *in cap. ſi autem 9. de reſcript.*

b *Tranſactione.*) Ideſt amicabili compoſitione, ut *in c. ſuper eo de tranſact.* ubi plura adduxi.

c *Reſiſtere.*) Quæ ad hujus textus interpretationem ſpectant, dabimus *in c. paſtoralis 28. §. quia vero, hoc tit.*

C A P U T IX.

Idem a *Brixienſi Epiſcopo*.

IN litteris, quas tua nobis deſtinavit fraternitas, quæſtiones *b* quaſdam inſeruiſti, ſuper quibus ſolutionem tibi a nobis poſtulaſti exhiberi: quarum quidem una eſt, ſcilicet uſque ad quod tempus judex delegatus ſe poſſit interponere, ut ſtetur judicatæ rei, vel tranſactioni. Super quo conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod ex quo judex delegatus per ſe, aut per alium, ſi potuerit, ſententiam executioni mandavit, vel præcepit mandari, ejus auctoritas, & juriſdictio ceſſat, quia ſemel ſuo officio eſt functus.

N O T Æ.

1 a *BRixienſis.*) Itam etiam legitur poſt Concilium Lateran. *part. 13. c. 16.* De hac Eccleſia nonnulla adduxi *in c. tuæ de procurat.*

2 b *Quaſdam.*) De quibus *in c. 5. & 6. de reſtit. ſpoliat. c. in litteris 8. de officio ordin. in 1. collect. c. in litteris 4. de raptoribus, c. ſuper illa 4. de ſecundis nupt.* in quibus male legitur, *Exonienſi*, cum legendum ſit *Brixienſi*, ut in præſenti legitur; ſiquidem deciſiones illæ ſunt partes hujus textus.

COMMENTARIUM.

3 INter alios modos, quibus finitur juriſdictio delegata, cauſæ finis, & ſententiæ prolatio enumerantur; prolatione enim ſententiæ, & ea executioni cum effectu mandata, expirat juriſdictio delegata, *c. quærenti 26. c. venerabilis 37. hoc tit.* vel enim ab ipſa ſententia judicis delegati appellatum fuit, vel non fuit provocatum: ſi appellatum non fuit, tranſit ſententia in rem judicatam, *c. cum inter de re judic.* & tunc poteſt per ſe ſententiam exequi, *c. ſignificaſti, hoc tit.* & ad hujuſmodi executionem habet annum, *d. c. quærenti*, & ſi voluerit ordinario mandare ſententiæ executionem, eo utiliter exequente, expirat delegati juriſdictio, *d. c. venerabilis*, quo caſu procedit præſens textus: ſed ſi ordinario renuente ex juxta cauſa delegatus voluerit reaſſumere ſententiæ executionem, poterit eam executioni mandare, & interim durat juriſdictio, ut jam notavi *in d. c. ſignificaſti*; quia ſententia prolata, dum executioni non mandatur cum effectu, dicta non creditur, ut expiret juriſdictio delegata: ea autem executioni mandata, expirat juriſdictio mandata, & ſic judex quilibet ordinarius poſteaquam ſententiam protulit, non poteſt eam mutare, *l. judex*, juxta vulgarem intellectum legis *conquerebatur 62. ff. de re judic.* licet illi permittatur, ſi quod dubium, aut quid minus expreſſe dictum eſt in ſententia, eam explicare intra 24. horas *leg. Paulus 42. ff. de re jud.* variis exemplis illuſtrat Pichardus *in manud. ad praxim, 2. p. §. 3. n. 12.* Ita delegatus, poſtquam ſententiam dixit, functus eſt officio ſuo, ita ut nec illam mutare poſſit. Acacius Ripol. *variar. q. 21. n. 440.* Guttier. *l. 2. can. c. 2. n. 18.* nec poteſt cognoſcere de nullitate ſententiæ, licet ſi contra formam delegationis pronuntiet, poſſit iterum ſententiam dicere, *c. cum dilecta, de reſcript.* ideo non poteſt concedere reſtitutionem adverſus ſententiam propriam. Carleval *de judiciis t. 1. diſp. 7. n. 29.* & ſi ſententia interlocutoria pronuntiavit ſe juriſdictionem non habere, amplius in ipſa cauſa procedere nequit, *c. ſignificantibus 38. hoc tit.* Docet Salgado *de protect. Regia, 3. p. c. 8. n. 49.* Adverſus ſententiam tamen interlocutoriam a ſe prolatam recte beneficium reſtitutionis concedere valet, ut reſolvit Fragoſo *de regim. Chriſt. Reipub. 2. p. diſp. 1. §. 2.*

CA-

BIBLIOTECA CENTRAL

C A P U T X.

Idem *Abbati S. a Albani*.

COnſultationibus ſingulorum ex miniſterio ſuſceptæ ſervitutis cogimur reſpondere, ut ſi quid dubietatis, vel quæſtionis in mente alicujus emerſerit, ab Eccleſia Romana ſolvatur, quæ inter alias, Domino diſponente, meruit obtinere principatum. Quæſitum eſt a nobis ſiquidem, utrum ſi aliquis Eccleſia, vel *b* poſſeſſione qualibet ſe aſſeverans abſque judicio, & cauſa rationabili ſpoliatum, a nobis ad judicem litteras obtinet, ut infra certum tempus reſtituatur ſibi poſſeſſio, ſi conſtiterit judici eum eſſe ſpoliatum, qualiter poſſeſſio ei debeat reſtitui; cum is, qui tenet Eccleſiam, vel poſſeſſionem, quam ipſe requirit, antequam de litteris ipſis aliqua mentio fieret, ſtudiorum, vel peregrinationis, vel alia hujuſmodi cauſa ſe abſentaverit, nec infra præfixum tempus judici poſſit ſuam præſentiam exhibere. Super quo utique conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod nec poterit, nec debet reſtitutionem habere, quamvis paratus ſit coram judice delegato teſtibus idoneis poſſeſſionem, & dejectionem ſuam probare, niſi is, qui poſſidet, ſe per *c* contumaciam abſentaſſet; ſi etiam judex uſque ad reditum ejus, qui poſſidet, terminum prorogaverit: *d* expirat enim juriſdictio ſua, quia ſine conſenſu utriuſque non licet judici termini prorogare quatenus præfixum a delegatore.

N O T Æ.

1 a S *Albani*.) Ita legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c. 15.* & poſt Concil. Later. *p.7. c.17. & in c. conſultationibus 4. de donat. c. conſultationi, de jurepatr.* ubi referuntur ſecunda & tertia pars hujus decretalis; non autem legendum eſt, *S. Albini*, ut habetur in hac ſexta collectione. Monaſterium hoc S. Albani eſt Ordinis Div. Benedicti in Diœceſi Cantuarienſi, cujus originem refert Yepes *t. 3. chron. D. Benedicti, pag.* 318.

2 b *Poſſeſſionem*.) Interdicta enim, & remedia poſſeſſoria tantum competunt poſſeſſoribus dejectis, *l.1. §. dejicitur 9. ff. hoc tit.* docent late Menoch. *de recup. in præludiis, n.1. & remedio 1. n.9. & 10.* Oſualdus *ad Donell. l.15. c.31. lit. C*, Valenz. *conſil. 71. n.14.* unde colono non datur, *d. l.1. §. denique 10.* quia non poſſidet, *l. non ſolum 33. §.1. ff. de uſucap. l. 1. C. communia de uſucap.* uſufructuario autem datur, *l. 3. §. unde vi 13. ff. de vi & vi*; quia licet ipſam rem non poſſideat, *l. naturaliter 12. ff. de acquir. poſſ.* tamen quaſi poſſidet ratione uſusfructus, cujus quaſi poſſeſſionis ratione competunt ei interdicta poſſeſſoria, *l. ult. ff. uti poſſidetis, l.1. §. uti videmur, ff. de itinere, actuque*. Docent Menoch. *d. remedio, ex num.* 79. Oſuald. *diſt. c. 31. lit. D.* D. Anton. Gomez *in lib. 45. Tauri, num.* 191. D. Garan. *in cap. litteris, num. 9.* ubi Fermoſ. *queſt. 1. ex n.14. de reſtit. ſpol.* unde dejectus debet probare poſſeſſionem, & dejectionem ab ipſa, ut interdicto poſſeſſorio uti poſſit, *lib. 1. §. interdictum, ff. de vi & vi*; quo modo accipit textum *in cap. olim, de reſtitut. ſpol. c. licet cauſam, de prob. c. ſuborta, de re judicata*; Fachin. *l. 8. controv. c. 10.*

c *Per contumaciam*.) Quo caſu quomodo procedendum ſit, late dicemus *in c. 1. & 2. de dolo & contumacia*. 3

d *Expirat enim juriſdictio*.) Ut late probavi *in c. de cauſis 4. hoc tit.* ubi commentarium hujus textus dedimus. 4

C A P U T XI.

Idem a *Carnotenſi Epiſcopo*.

SAne quia nos in primis conſulere voluiſti, qualiter a nobis judex delegatus Epiſcopum, qui ei non ſubeſt, ad aliquid faciendum, vel dandum compellere debeat, cum cauſam, quæ inter Epiſcopum, & laicum, vel clericum vertitur, de mandato noſtro ſuſcepit; id tuæ quæſtioni duximus reſpondendum, quod judex a nobis delegatus vices noſtras gerit: unde in cauſa illa ſuperior eſt, & major illis, quorum cauſam ſuſcipit terminandam. Ideo ſi Epiſcopus, vel alia *b* perſona, quæ non ſit de juriſdictione illius in cauſa, quam ei delegamus, rebellis, ac contumax fuerit, ſecundum qualitatem, vel quantitatem facti poterit vel *c* interdicti, vel ſuſpenſionis ſententia a judice delegato compelli. Itaque judex ſecundum negotii qualitatem temperate procedens, Epiſcopo vel ingreſſum Eccleſiarum, vel ſacerdotale officium interdicat, aut etiam terram illius, quæ ad juriſdictionem ſuam pertinet, ſpecialiter interdicto ſupponat.

N O T Æ.

1 a C*Arnotenſi*.) Ita legitur *in c.16. hoc in 1. collect.* & poſt Concil. Later. *p.7. c. 20. & in c. quæſtionis, de appell.* Carnutum Belgiæ caput, civitas eſt in regione media totius Galliæ ſita, cujus meminerunt Cæſar *l.6. c.4.* Sulpitius *dialog.* 3. Paulinus *l. 4. in vita S. Martini*: habet Eccleſiam Cathedralem, cujus mentio fit *in c. 28 de judiciis, c.28. de jurepat. c.23. & 24. de V. S.* Ejus Epiſcopo Joanni Sariſbarienſi miſſa eſt præſens deciſio, de quo plura adduxerunt Fratres Sarm. *t.2. Galliæ Chriſtianæ, fol.* 496. & nonnulla de ipſo Comitatu Carnotenſi in Gallia non ignobili, congeſſi *in cap....*

b *Vel alia perſona*.) Juxta ea, quæ dixi *in c. 1. hoc tit.*

2 c *Interdicti, vel ſuſpenſioni*.) Contra contumaces enim, & impedientes uſum ſuæ juriſdictionis, poteſt judex delegatus procedere, per cenſuram excommunicationis, interdicti, & ſuſpenſionis, ut probavi *in c. 1. hoc tit.*

COMMENTARIUM.

3 Concluſio traditur, & probatur.

EX hoc textu, ut commune axioma deducitur, *Judicem delegatum eſſe majorem quocumque ordinario in cauſa ſibi commiſſa*. Quod probant textus *in c.2. de officio Legati, c. ſignificaſti, c. paſtoralis, §. quia vero, hoc tit. c. paſtoralis, §. præterea, de officio Ordin.* Illuſtrant ultra congeſtos a Barboſa *in præſenti*, Corraſius *l. 3. miſcel. c. 19.* Angujanus *l. 3. de legib. c. 33. per tot.* Fachineus *l.12. controv. c.84.* Barboſa *l.2. voto 53. n.13.* Carena *de officio inquiſit. p.1. tit.5. §.7.* Abruz. *ad leg. 1. ff. de officio ejus, q. 1.*

4 Ratio dubitandi.

Sed hoc axioma, licet ita communiter receptum, difficile tamen videtur ex ea conſideratione; nam ideo delegatus dignior judicatur, & major quocumque ordinario, a noſtro Alexandro; quia ipſius Pontificis delegantis perſonam repræſentat: ſed æqualiter judices ordinarii ſuſtinent, & repræſentant perſonam Principis, a quo eliguntur, aut confirmantur, *c. ita Dominus, 19. d. c. mandata, de præſumpt.* & ipſi ordinarii amplam juriſdictionem obtinent in ſuis territoriis, *c. cum Epiſcopus, de officio ordin. l. 6. l. more, l. & quia, ff. de juriſd.* unde poſſunt ſupplere negligentiam ipſius judicis delegati, *c. ſignificavit, de officio ordin.* atque contra ipſum procedere, ut probat Angujanus *d. c. 33. n. 12.* igitur quia judex delegatus non eſt major quocumque ordinario. Fulcitur hæc dubitandi ratio ex eo; nam quælibet cauſa naturalis accidentalis præfertur, *l.3. ff. de tutelis*: ſed juriſdictio ordinaria eſt naturalis; delegata vero accidentalis; igitur potius judex ordinarius præferendus eſt delegato, quam e contra, & ſi daremus utramque juriſdictionem eſſe ejuſdem naturæ, non debebat præferri delegatus, ſiquidem cui aliquod miniſterium demandatur, non præfertur, ſed exæquatur illis, qui ſimile miniſterium exercent, *l. 2. C. ut dignit. ordo, l. 2. C. de Comit. rei milit. l. 12.*

Hac difficultate minime obſtante vera eſt præſens deciſio, pro cujus expoſitione ſciendum eſt, quinam dicantur judices delegati, & qui ordinarii appellentur, ut inter eos prærogativam agnoſcamus. Et omiſſis variis diffinitionibus traditis in hac rubrica a Panorm. *n.1.* Decio *n.14.* Sahagun *n.15.* Petr. Greg. *l.27. ſyntag. 22. n. 2.* Menoch. *de arbitr. l. 1. q. 12.* P. Barb. *in l. cum Prætor. 12. §1. n.2. ff. de judicio*, Pareza *de inſtrum. edit. tit.2. reſ. 5.* illa ut receptior placuit Anteceſſoribus noſtris, quæ ait: *Delegatus eſt perſona, cui cauſæ cognitio committitur, nihil proprium habens, ſed delegantis perſonam repræſentans*. Quæ diffinitio colligitur ex hoc textu, *ex lib. 1. §. qui mandatam, ff. de officio ejus*. Ponitur in ea, *perſona*, loco generis; aliæ enim ſunt perſonæ, quæ licet cauſæ cognitionem habeant, judices tamen delegati non ſunt: illa verba, *committitur cognitio, vel executio*, adhibentur, ut cognoſcatur delegari poſſe non ſolum principium, & medium, verum & finem cauſæ, *c. ſuper 27. §. intentioni, hoc tit.* Principium, cum tantum citatio, vel litis conteſtatio committitur, *d. §. intentionis*: ibi: *Litis exordium, c. paſtoralis 28. §. item, hoc tit.* Medium, cum examen teſtium totius cauſæ, ſeu cognitione negotiis uſque ad ſententiam demandatur, *d. c. ſuper, §. nos, c. juſte 18. hoc tit.* Finis, cum diffinitiva ſententia, cauſa jam examinata, delegatur, *d. c. ſuper, §. verum*. Reliqua diffinitionis verba ponuntur loco differentiæ, ut demonſtretur, judices delegatos valde differre ab ordinariis, & vicariis, qui ordinaria juriſdictione fruuntur, & propria, cum delegati nihil proprium habeant, *c.1. 94. d. c. præterea 5. hoc tit. d. l.1. §. qui mandatum*, ibi: *Nihil proprium habens*: ſed ejus qui mandavit, juriſdictione utuntur, *l. etſi Prætor*, ibi: *Partibus ejus fungens, ff. de officio ejus l. ſolet 16.* ibi: *Fungitur vice ejus, qui mandavit, ff. de juriſd.* Unde dicuntur judices extraordinarii, *l. 2. C. de dilationibus, c. induciæ, §. ſpatium 3. q.3. c. quoniam*, ubi Gloſſa *verbo Extraordinario, de probat.* notarunt Menochius *l.2. de præſump. c.15. n.15.* Oſualdus *ad Donellum l. 17. c. 18. littera A.*

5 Delegatus judex quis.

6 Opponuntur varii textus.

Sed contrarium, imo judices delegatos proprio jure juriſdictionem habere, probari videtur ex *l.1. §. qui mandatum, verſ. Verius enim, ff. de officio ejus*: ubi probatur eum, cui mandata eſt juriſdictio habere eam ut propriam. Sed pro ejus textus ſolutione ſciendum eſt, in ejus principio Papinianum generalem in eo textu regulam conſtituiſſe, quam *in verſ. verius eſt*, exponit, ut ſcilicet uſus juriſdictionis, qui more majorum competit, transfertur, non ſic imperium, quod lege competit, cujus uſus ad alium transferri non poteſt. Ex qua ſententia non ſequitur, tranſire in delegatum juriſdictionem ordinariam, ſed potius mandatam, ut docent Gloſſa, & Matheacius *ibi*. Verum enim eſt, uſum juriſdictionis transferri, non vero ipſam juriſdictionem, quomodo etiam accipiendus eſt textus *in c. in litteris 9. hoc tit.* ubi ſi attenditur proprietas vocis *ejus*, quæ proprietatem ſignificat, *l. locum 2. §. 1. ff. de religioſis*, probari videtur, delegatum proprium quid habere; nam in eo textu, & ſimilibus hujus tituli, uſus juriſdictionis late dicitur juriſdictio ipſa; & in eo ſenſu, quia delegatus habet uſum juriſdictionis, aliquando dicitur habere juriſdictionem ipſam. Etiam ſupra dictis opponi ſolet textus *in leg. cognitio 4. de officio ejus*, in illis verbis: *Cum propriam juriſdictionem legatis tuis dederis*. Ex quibus deducitur, legatos, quibus mandatur juriſdictio, eam proprio jure habere. Sed ut huic difficultati ſatisfaciamus, examinanda eſt illa ſatis vexata quæſtio, utrum videlicet Legati Proconſulis, quibus juriſdictionem demandarunt Proconſules, habeant eam, ut propriam, an ut delegatam? Et eam habere, ut delegatam, ſuaderi videtur *ex l. cum Prætor 12. §. 1. ff. de judiciis, l. ſolent 6. verſ. ſicut, ff. de officio ejus*, ex celebri loco Julii Cæſaris *l.2. comment.* ubi ait: Non ſe ignorare, quod eſt officium Legati, qui fiduciariam operam obtinet. Hanc tenent opinionem P. Barb. *in d. l. cum Prætor, n.178.* Oſualdus *l.17. Donelli, c.8. triplici lit. N.* Sed contrariam ſententiam, imo proprio jure juriſdictionem habere, docuerunt Anton. Faber *in dict. l. cum Prætor* Faber *in l. nemo 70. ff. de reg. juris*, Covarr. *l. 3. var. c.20. n.11.* Cujac. *l.7. obſ. c.21.* quorum ſententia probatur *ex l. 2. ff. quis, & a quo appelletur*, ubi probatur, a Legato ad Proconſulem appellari, ad quem ſi mandatam juriſdictionem exerceret, appellari non poſſet, *l.1. §. 1. ff. eodem tit.* Facit textus *in l.1. §.1. ff. de tutor. & curat.* ubi ipſe tutores dat, cum hæc poteſtas mandata juriſdictione non tranſeat, *l. nec mandante 8. ff. de tutor.* Tandem faciunt alia, quæ expendebamus *in c.1. hoc tit.* pro interpretatione textus *in l. legatus*; quæ repetenda ſunt pro hujus quæſtionis expoſitione.

7 Delegatus repræſentat delegantem.

Diximus tandem in diffinitione: *Delegantis perſonam repræſentans*. Ut cognoſcatur, judices delegatos repræſentare judices delegantes, quorum juriſdictione, & poteſtate utuntur: unde deducitur, ex perſona delegantis æſtimandam eſſe juriſdictionem delegati, ut in præſenti docent Oſualdus *l.17. Donell. c.8. lit. L.* Alciatus *in rubrica de officio ejus, n. 25.* & ſimiliter exceptiones, quæ opponi poterant deleganti, obſtare etiam delegato, *c. 1. de officio Vicarii, l. 6.* niſi ſit ſpecialis, ſeu perſonalis exceptio, quæ delegato non objicitur, *c. ſi quis 4. de foro compet.* ubi Cujac. Scaccia *de appel. q.7. n.42.* Moneta *de comment. c.8. n.610.* licet in delegationibus extrajudicialibus debitoribus factis aliud obſervetur, exceptio enim, quamvis realis, quæ delegantis obſtabat, delegato non poteſt opponi, *l. ſi quis 12. l. doli 19. ff. de donat.* ratio diſcriminis redditur *in d. l. ſi quis 12.* quia videlicet cum hæc delegatio celebretur novatione facta, & interpoſita ſtipulatione, remittere videtur exceptionem is, qui denuo promittit. Circa caſum autem textus *in d. l. ſi quis 12.* obſervandi ſunt textus *in leg. fidejuſſor 16. ff. de fidejuſſore l. 2. §. idem, ff. de eo, quod certo loco, l. qui alii 12. ff. de operis liber.* in delegatione vero, de qua in hoc titulo agitur, cum nulla novatione intercedente juriſdictio committatur, committitur, ut erat apud delegantem, cujus perſonam delegatus repræſentat, ut in hoc textu docetur. Quæ omnia procedunt in delegato hominis, non vero in delegato legis, cum lex ipſam cauſam committit, ut *in c. irrefragabili 13. §. ceterum, de officio Ordin. c. unico, de clerico, ægrot. l.6. c. ad audientiam, de hæret.* lex enim, aut Senatuſconſultum plerumque delegat, *l. excipiuntur 14. ff. ad Syllan. l. 1. ff. de damno infecto*: notat Scipio Gentilis *l.3. de juriſd. c. 25.*

8 De judice ordinario.

Judex ordinarius ille dicitur, qui propriam habet juriſdictionem, aut jure aut conſuetudine, *l. more 5. leg. & quia, ff. de juriſd. c. conquerente, de offic. ord.* Trid. *ſeſſ. 24. de reform. c. 1.* Docent plures laudati a Barboſa *in rubrica de of. ord.* unde cum jure proprio, non alicujus perſonam repræſentans, judex ordinarius juriſdictionem obtineat, differt valde a judice delegato, qui nihil proprium habet, ſed tantum delegantis perſonam repræſentat: aliquando tamen contigit, ut ordinarius ſimul ſit delegatus, cum videlicet illi committitur cauſa, cujus cognitio jure ordinario ad ipſum non ſpectabat, quem caſum late diſputabimus *in c. licet, de Officio Ordinarii*.

Ex quibus facile cognoſcitur majoritas, & præexcellentia judicis delegati Pontificis ſupra omnem ordinarium, quæ etiam redditur a noſtro Alexandro in illis verbis: *Judex a nobis delegatus vices noſtras gerit*. Nam cum judex delegatus ipſum delegantem repræſentet, cujus vices gerit, & juriſdictionem exercet in cauſa ſibi commiſſa; & delegantis juriſdictio ſit ſupra omnem juriſdictionem ordinariam, neceſſario & ipſius delegatus in cauſa ſibi commiſſa, in qua vices ipſius delegantis gerit, major erit quocumque ordinario, cum geſta per ipſum delegatum, per Pontificem geſta credantur, *c. ſi cui 11. de præb. l.6.* Gloſſa *2. in fine, in c. litteris, de reſcr.* Unde quia abſurdum, & indecorum erat, ut ſimplices clerici a Sede Romana delegati, in cauſis ſibi commiſſis majores conſtituerentur Epiſcopis, & Archiepiſcopis, ſtatutum fuit a Bonifacio VIII. *in c. ſtatutum, hoc tit. l.6.* ne cauſa delegetur niſi habenti dignitatem, vel Canonicatum in Eccleſia, alias geſta a delegato invalida ſint. Docent plura ad hujus textus interpretationem adducentes; Tondutus *reſol. canon. c. 77. & 87.* Petrus Greg. *l.1. de reſcriptis, c.53.* Barboſa *de canonicis c. 19. & in remiſſ. ad* Trid. *ſeſſ. 25. de reform. c.10.* 9 Traditur ratio decidendi.

Nec obſtat difficultas ſupra pro dubitandi ratione perpenſa, qua moti Barbatia, Alciatus, Jacobus de Nigris, & Corraſius, quos refert Angujanus *d. l.3. de leg. c.33.* exiſtimarunt diſcrimen eſſe conſtituendum inter delegatum Principis, & delegatum inferioris, ut delegatus Principis major ſit quocumque ordinario; non ita delegatus inferioris Magiſtratus. Sed hæc diſtinctio ſuſtineri non poteſt, ſiquidem tam delegatus inferioris Magiſtratus, quam Principis egerunt vices delegantis: igitur etiam delegatus inferioris Magiſtratus major eſt quocumque ordinario, cui præeſt ipſe Magiſtratus, qui delegavit. Aliter Berojus interpretatur noſtram Alexandri deciſionem; aſſerit enim, delegatum eſſe majorem illis ordinariis, quorum cauſa ſuſcipit terminandam, ideſt illis, ad quorum juriſdictionem cauſa commiſſa ſpectat, juxta illa verba noſtri textus: *Quorum cauſam ſuſcepit terminandam*. Quæ verba accipit ipſe Berojus, non ut emolumentum, & utilitas ipſius actionis ad Epiſcopum ſpectaret, ſed quia cauſa delegata ad ejus juriſdictionem pertinebat. Sed etiam hæc interpretatio admitti non valet, cum repugnet contexturæ hujus textus. Primo, quia Alexander in præſenti regulam generalem, & ejus rationem aſſignat in illis verbis, *Delegatus vices noſtras gerit*; unde in cauſa illa ſuperior eſt, & major illis, quorum cauſam ſuſcepit terminandam. Deinde quia in hujus textu ſpecie utilitas actionis ad ipſum Epiſcopum ſpectabat, ut ex ejus verbis conſtat: quare Beroii ſententia ſuſtineri non poteſt, etſi non inficier, ex præſenti deciſionem non recte probari, omnibus Ordinariis majorem eſſe judicem delegatum, etiam in cauſſa ſibi commiſſa. Sed juxta alia juris teſtimonia, & rationes ſupra perpenſas, defendenda eſt ſupra tradita aſſertio. Nec tunc obſtat prædicta dubitandi ratio; nam licet judices ordinarii repræſentent ipſum Principem ſuperiorem, atque ejus vices gerant; longe tamen aliter delegati delegantis perſonam ſuſtinent: ſiquidem judices ordinarii propter officium, aut dignitatem, mediante Principis electione juriſdictionem obtinent; delegati vero ſpecialiter propter ſpecialem commiſſionem ipſius delegantis; unde majori ſpecialitatis ratione ipſius delegantis perſonam repræſentant, & vices gerunt. Nec obſtat textus *in d. c. ſignificavit, de officio ordinarii*, ubi docetur, judicem ordinarium poſſe ſupplere juriſdictionem judicis delegati. Nam ſpecialiter textus ille procedit, quatenus ad extirpanda peccata poſſit judex ordinarius ſupplere negligentiam judicis delegati, ut docet Angujanus *d. c. 33.* & nos dicemus in ejus textus commentario. Nec quod dicebamus, videlicet juriſdictionem delegatam eſſe accidentalem, & per conſequens non eſſe præferendam ei, quæ eſt naturalis, obſtat; quoniam, hoc argumentum, quod expendit Riminaldus *in rubrica ff. de officio ejus*, procedit, & locum habet, quando cauſa naturalis, & accidentalis tendunt ad eumdem effectum; ſecus autem, quando invicem pugnant; tunc enim natura rei alterata eſſe dicitur, & prævalet cauſa accidentalis, *l.15. §. ad beſtias, ff. de poſtul.* unde in concurſu juriſdictionis delegatæ, & ordinariæ circa eamdem cauſam prævalet delegata, quæ ordinariæ derogat, & in ejus præjudicium conceditur. 10 Diſſolvitur dubitandi ratio.

C A P U T XII.

Idem a *Eboracenſi Archiep. & Epiſcopo Conventrenſi*.

EX parte N. Cappellani nobis innotuit, quod cum ad te, *b* frater Conventr. litteras noſtras impetravit, ut ei Archidiaconat. quem in Eccleſia primo vacare contigerit, aſſignare; R. adverſarius ejus ad te, frater Eborac. litteras, ſicut dicitur, impetravit, nulla de prioribus habita mentione; ut ſi *c* avunculus ſuus Archidiaconatum, quem habebat in ea Eccleſia, vellet omnino dimittere, ipſum ei faceres *d* aſſignari. Quoniam igitur, ſi memores fuiſſemus, nos præfatos N. litteras noſtras, ſicut prædiximus, direxiſſe, pro adverſario nullatenus ſcripſiſſemus; nolentes litteras noſtras, quas pro eodem N. miſimus, occaſione hac effectu carere: f. t. per A. ſ. præ. m. quat. præſcriptum Conventrenſem commoneas, ut præfato N. Archidiaconatum Eccleſiæ ſuæ, ſi vacat, juxta promiſſum ſuum aſſignet, non obſtantibus litteris, quæ ab adverſario ejus poſtmodum fuerint impetratæ, tacita veritate.